Recolene

LUSUS
POETICI
ALLEGORICI,
SIVE
ELEGIÆ OBLECTANDIS
ANIMIS, ET MORIBUS INFORMANDIS ACCOMMODATÆ.

In tres Libros, aut Decurias tributæ.

Autore P. PETRO JUSTO SAUTEL, Societatis JESU.







PARISIIS,
Apud Fratres BARBOU, viâ Jacobeâ propè fontem S. Benedicti sub Ciconiis.

M. DCC. XXV.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.



AD ILLUSTRISSIMUM NOBILISSIMUMQUE VIRUM HENRICUM LUDOVICUM HABERTUM MONMORIUM LIBELLORUM SUPPLICUM MAGISTRUM.



Unt etiam doctis sua fata laboribus, & nox
Atra premit clarâ carmina digna die.
Nec mirum, quando gens Phœbo addicta Poëtæ
Magnorum fugimus tecta superba Virûm:
Vana nec ambimus stolidæ suffragia plebis,
Contenti Aonio scribere grata choro.
Pressa diù tamen emergit post funera Virtus
Clarior, & meritum jam suus ambit honos.
Phœbus & ipse suos longâ qui nocte poëtas
Eximat, insignem suscitat usque Virum.
Tu Vir hic es, per quem Elysijs Sautellus in arvis
Cœlo conspicuum tollit, Haberte, caput.
Inter & eximios gaudet quo vindice Vates
Æternâ nitidas cingere fronde comas.



Haud humiles Vatum consecratura Camenas
Pendet ab arbitrio gloria quippe tuo.
Nec porro quisquam certet tibi versibus æquis
Regis in æternos ferre tropæa dies.
Sive canes tenerâ quos ille eliserit angues,
Qualia contuderit quantaque monstra manu.
Quas acies, quæ castra Virûm turbaverit, & quàm
Addiderit Regnis oppida multa suis.
Seu potiùs referes ut parta pace reducat
Ille idem populis aurea sæcla suis:
Ut curas adimat jucundo lumine qualis
Phœbus, & immensas undique fundat opes;
Pierijs ut adesse choris amet, aurea doctis
Vatibus & largâ spargere dona manu.
Utque parans almi locupletes ruris honorum
Externâ populos merce beare suos,
Centum navigijs jam nunc penetrabit & Indi
Divitis Eoas, occiduásque domos.
Quidquid oderis Arabs, quidquid Panchaïa sudat,
Quidquid opum magnus condit & Oceanus,
Unde reportet ovans, populos & spargat in omnes,
Nil veritus magno naufraga saxa mari.
Æquoreus proprium cui Jupiter ipse Tridentem
Ferre dat, & tumidis imperitare fretis.
Et tibi mens centum varias, Henrice, per artes
Mel confecturæ more vagatur apis.
Nunc nitidos per prata juvat parnasia flores
Carpentem artifici texere serta manu.
Nunc Sophiæ spissis solum te condere lucis,
Naturæ arcanum dum meditaris opus:
Qua faciat lætas, segetes, qua mitia poma
Sol face, Pæstanas purpuret unde rosas.
Quove sub axe, quis & fuerit, quamtusve Comœtes
De quo tam varium tot retulere sophi.

Quoque ſuper, pridem quæſitum oracula, toto
Docta caterva tuam tendit ab orbe domum;
Mille domum tabulis lætam ſpirantibus, & quæ
Cecropiæ condit munera mille Deæ.
Sed magis illuſtrat tanti quam didita terris
Hoſpitis & pietas, & ſine labe fides.
Felix! ô nimium SAUTELLI pagina felix!
Quæ ſibi præſcripſit Nomen, HABERTE, tuum.

INSTITUTUM OPERIS.

AD LECTOREM POETAM.

HÆc ego, quæ facili Juvenis modulabar avenâ
Carmina, Pieriis ſponte voluta jugis.
Æternis (fateor) condi potuêre tenebris,
Aut olidis tradi piſcibus eſſe togas.
Impediit pietas; cum jam lacerare pararet
Pignora, Medeæ more, noverca manus.
Parcite, vos, quos nulla juvant niſi ſeria, Vates;
Si Natis voluit parcere patris amor.
Sed tamen exiguo damus otia noſtra labori;
Currit & in tenui pulvere noſter equus.
Dúmque aliæ medio luctantur in æquore naves;
Ludit in anguſto cybula noſtra mari.
Non ſemper gravibus tractanda negotia curis,
Alternóque juvat miſta labore quies.
Æquor inæquales ceſſant vexare procellæ,
Paxque, catenato Marte, quieta redit.
Ille, decus Grajûm, curru prius actus ovanti,
Ductor arundineo currere gaudet equo.

Ludicra Divino quondam placuêre Maroni,
Materiésque culex parvulus ampla fuit.
Quíque Virum, quíque arma canit, Trojæque ruinam,
Sumitur huic positâ lenis avena tubâ.
Magnanimósque Duces, totiúsque ordine gentis
Mores, & levium prælia cantat apum.
Et tibi, quem tanto parit inclyta Bilbilis ortu,
Materiem lepidi carminis Issa dedit.
Passeris inferias molli canit ore Catullus,
Et tua fata, loquax Psittace, Naso dolet.
Quid moror in parvis? majora exempla sequamur;
Quod decuit Superos, quis sibi turpe putet?
Sæpe solent Musæ, plectro, citharâque relictis,
Pactilibus violas implicuisse rosis.
Et quibus annosæ crescunt sacra robora sylvæ;
His quoque numinibus grata Myrica viret.
Ipse D E U S Vatum disco certabat Apollo,
Fatidico sortes qui prius ore dedit.
Exutóque Deo, cannaque instructus agresti,
Ludebat tacitas Dux gregis inter oves.
Nos quoque cum reliquis fas sit lusisse Poëtis,
Fas quoque sit Clarij ludere more Dei.
Et quibus informet mores studiosa juventus,
Innocuos chartis inseruisse sales.
Ludimus, & gracili modulamur arundine carmen
Quod facilis nullâ condidit arte labor.
Sed tamen utilibus miscemus dulcia; Punctum,
Utile qui dulci miscuit, omne tulit.



LUSUS POETICI ALLEGORICI

SIVE

ELEGIÆ OBLECTANDIS ANIMIS ET MORIBUS INFORMANDIS ACCOMMODATÆ.

In tres Libros aut Decurias Tributæ.

LIBER PRIMUS.

MUSCA IN LACTE NAUFRAGA.

Ludus A. egoricus.

ELEGIA PRIMA.



ULXERAT à pastu reduces Galatêa capellas,
Alternâ pressans ubera plena manu.
Iamq;coronatisfluitanti nectarelabris,
Spumabat liquidâ fictilis urna nive.
Ausa per aërias volitare licentiùs auras,

Musca videt posito pura fluenta cado.
Et celeri (nam fata trahunt) ruit acta volatu,
Subdola blanditiis quò vocat esca suis.
Verte fugam , quó Musca volas ignara pericli ?
Hæc tibi, ni revoles , causa doloris erit.
Ne blando ne crede nimis secura colori ;
Namque sub hoc latitat sæpe colore dolus.
Credula flecte viam, versisque relabere pennis ;
Sin minus , ipsa tui funeris autor eris.
Nam solido rata posse pedes imponere fundo ,
Lapsa cades, nec,quo sustinearis, erit.
Nil ago : nam nisi pellecta cupidine lactis,
Pergit quó primâ cœperat ire viâ.
Accedit, sensimque leves delapsa per auras ,
Ponit in ignoto cruscula fessa vado.
Vix bene lac tetigit , cum se subsidere sensit.
Et niveo pennas rore madere graves.
Ter celerem molita fugam , ter inutilis hæsit
Penna , ter officio defuit ala suo.
Nare parat (quid amor vitæ non possit ?) at expes
Nesciit ignaros arte movere pedes.
Ut volucris tentans stupas exire morantes ,
Incidit in teretes dum male-cauta plagas:
Quò magis obluctatur agens abrumpere nodos ,
Séque improvisis expediisse dolis :
Hoc sese intricat , multóque tenaciùs hæret ,
Et laqueo collum proximiore ligat.
Sic tremulas quò musca frequentiùs evibrat alas ,
Altiùs hoc niveis mergitur usque vadis.
Dum trepidat , niténsque iterumque iterumque re-
tentat.
Corpus ab implicito solvere capta dolo :
Ter caput immersit , toties caput extulit,at mox ,
Ebria fatalis fluxit in ora liquor.
Deposuitque suam volucris tenuissima vitam ,
Quò longam properat depositura sitim.
Hic ego(nam memini) casum miseratus iniquum ,

Alloquor exiguam poſt ſua fata feram.
Heu Muſca infelix! quod te male numen adegit
Tam volucri celeres claudere fine dies?
Clamabam, quò Muſca ruis? tu ſurda monentem
Temnis, & in vetitâ pergis, ut ante viâ.
Hei mihi! plena tuæ fluerent ut tempora vitæ,
Debueras monitis credere, muſca, meis.
Nam poſt decurſas numeroſo tempore meſſes,
Jam ſenior placidâ morte ſoluta fores.
Duxiſſétque tuum muſcarum natio funus,
Téque ſequens fleſſet filia téque ſoror.
At nunc, digna quidem producere longius ævum,
Occidis ante tuos præcoce morte dies.
Hanc licet attulerit dulciſſimus humor, amaram
Jure tuam dicat quilibet eſſe necem.
Nuſquam certa fides! nam quis candore ſub illo,
Heu! tantum infidi crederet eſſe doli?
Scilicet incertæ fatalia ſtamina vitæ,
Quo minimè credis tempore, Parca ſecat.
Quamlibet albeſcat, nunquam, me judice, nunquam
Tam fallax poterit candidus eſſe liquor.
Debuit in nigrum niveus migrare colorem,
Lactis ut inſidias proderet ille color.
Nam ſi compoſitæ morereris præſcia fraudis,
Non equidem tanto flenda dolore fores.
Sed miſeram occulto mors perfida ſuſtulit aſtu,
Qui nec-opina tulit fata, dolenda tulit.
Non immitis eras, tenuíque proboſcide nullam
Lædebas, ut amat lædere veſpa, cutem.
Sed, blando afflictu titillatura volentem,
Molliter illecebras delicioſa dabas.
Aëra nunc inſtar volucrum, nunc inſtar equorum,
Quaſſabas curſu quadrupedante ſolum.
Nunc pedibus ſuſſulta tuis geſtúque decoro
Rodebas modici fruſtula parva cibi.
Et pennæ tenues, & venti futilis inſtar,
Qualia lanifici vellera Seres habent.

Pungit apis; formica rapit; rodúntque locustæ;
Et strepit ingratis rauca cicada sonis.
Tu minimo satiata cibo, contentàque lymphâ
Simplice, nullius causa doloris eras.
Natos ipsa suos mater jugulavit hirundo,
Inque sinu fusi signa cruoris habet.
Impia sacrilegum subiit certamen Arachne,
Se rata Palladias vincere posse manus.
Tu numquam læsisti homines; tu numina numquam,
Et nullum quo sis noxia, crimen habes.
Lactis olorinus, quo mergeris obruta, candor
Candorem ingenij denotat ille tui.
Sed quid amabilium tam blanda modestia morum,
Profuit; aut formæ gratia tanta tuæ?
Non minùs in primâ moreris prærepta juventâ,
Aut minùs es niveo mersa repente scypho.
At vobis malè sit, tetricæ, mala numina, Parcæ;
Quæ rapitis, pulchri quidquid is orbis habet.
Tyndaris Iliacos, Paridisque accenderat ignes,
Nunc cinis, extinctis ignibus illa jacet.
Castaque Penelope bisdenos mansit in annos,
Casta suo tamen est tempore visa mori.
Sed quid opus veterum replicare volumina vatum?
Sat Lachesis duras mors probat ista colos.
Injicit hamatam cunctis Dea lurida falcem,
Nec pulchram cohibet fata, nec esse piam.
Parva quidem, sed parva tamen solatia sunto,
Icariæ consors, Muscula, mortis eris.
Mersit utrumq; latex, sed quamvis mersit utrumque,
Non erat unius fontis uterque latex.
Nam malè ceratas agitans puer Icarus alas,
In mediis periit, flebile pondus, aquis.
At te, penniger æ pars non temnenda cohortis,
Insidiante fluens nectare mergit ebur.
Cernuus è summo cadit ille sub æquora cælo,
Vincere dum veras prævius audet aves.
Tu madidas captiva moves, sed inaniter alas,

Dum vis lacte sitim pascere, lacte famem.
Ille caret patrij fraudatus honore sepulchri,
Tu meritum moriens es quoque nacta rogum.
Hic perit Ægeis; niveis tu mersa fluentis,
Ille mari; sed tu lacte sepulta jaces.
I tamen, & tantò melioribus utere fatis,
Quantò lac solitum dulcius esse mari est.
Nec te marmorei moles operosa sepulchri,
Condet, in aërias crescere jussa vias,
Qui tristi tua naufragio corpuscula mersit,
Ille liquor Parij marmoris instar erit.
Apta prius pressi cohibere coagula lactis
Multa, recondendis ossibus apta venit.
Namque ubi suppositus cinerem te fecerit ignis,
Commoda relliquias colliget urna tuas.
Nec ritu fundenda pio carchesia lactis
Funeribus deerunt sponte parata tuis.
Sed magnâ exiguam ter voce vocabimus umbram;
Lustrantes rutilâ ter tua busta face.
Ducet ad agnatos sic te via lactea cœtus,
Quos habet Elysiæ sylva beata plagæ.
Non tamen, ut stygias, levis umbra, vehare per un- (das;
Rimoso veluti lintre Charontis eges,
Nam ferruginei solito sine remigis ictu
Lethæos poteris salva meare lacus.
Lac Lethe, pandésque tuas, nova carbasa, pennas
Officium cymbæ, cimbia lactis agent.
Sic Acherontêam non indigna scandere puppim,
Tu tibi navigium, navita, vector eris.
Ast ubi ad Elysios penetraveris advena colles;
(Namque piis sedes manibus illa datur)
Protinus accurret proavorum longa propago,
Et generis series tota, caputque tui.
Accurrent fratrésque tui, parvæque sorores,
Quósque tibi casto fœdere junxit Hymen.
Gentilésque ruent, gens exiguissima, muscæ,
Quòque cadis quærent tempore, quòque modo.

Tu, consanguineâ circum undique cincta coronâ,
Narrabis lethi fata, modúmque tui:
Ut dum plena petis mulctralia, remige pennâ;
Invito liquidam duxeris ore necem.
Utque liquor nivibus candore simillimus albis,
Heu! nimis extiterit in tua fata niger.
Dum bene narraris lethi causámque, modúmque,
Et niveo mersum sæpe sub amne caput.
Adde memor, reliquum dum pandis in ordine fu-
Ut lapis inscriptis stat super ossa notis. (nus;
Nam quod in exilem glacilescis parvula molem,
Intima penniger as sis licet inter aves.
Non tamen ignotâ sine laude jacebis in urnâ.
Sed tuus hoc celebris carmine casus erit.

MUSCÆ EPITAPHIUM.

Lacte madescentes perfusa tenaciter alas,
Finiit extremos naufraga musca dies.
Non tamen ad plenum est duras experta sorores,
Illo, quo periit, rite sepulta cado.
Ne Pario gratere tibi, Cleopatra, sepulchro;
Muscula si tumulo candidiore jacet.
Ut reliqui manes busto meliore quiescant,
Dulcior hac certè nullius urna fuit.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo Proverb. c. 1. Fili mi, si te lactaverint peccatores; ne acquiescas eris.

Dum minima alituum tutis secat aëra pennis,
Heu periit monito non satis usa meo!
Nam lactis candore novi delusa, supremum
Sub fluido clausit marmore mersa diem.
Tu miseram si fortè doles periisse volantem,
Sperne venenatos, cauta juventa, dolos.

Porrigat in cyathis tibi lac lena voluptas ;
  Hic tibi non sapiat , si sapis , ipse liquor.
Sed refugâ cervice , & pressis sobria labris ,
  Pocula Circæâ respue mista manu.
Namque oculis licèt ille tuis arriserit albor ,
  Atra superfuso lacte venena latent.
Nec quia lac nullâ violatum labe nigrescit ,
  Hoc minùs insidæ fraudis inesse putes.
Quamlibet albescant sparso Junonia lacte
  Lilia , sæpe sub hoc vipera lacte latet.
Euridice testis, quæ tectum floribus anguem
  Heu ! moritura suos non videt ante pedes.
Nec te mellifluì capiat cupedo saporis ;
  Ambrosium mel apis fundit & arma gerit.
Gutta propinati blandè dulcoris , acerbam
  Parturit incauto gutture tracta necem.
Dormijt æternam , terebratus tempora , noctem ;
  Dum Sisaras poto stertere lacte parat.
Ut fugias , & blanda memor discrimina vitæ ,
  Te docet exemplo Musca magistra suo.



Flora videt, floríſque novum mirata decorem,
  Magna mei certè eſt gratia veris, ait.
Sis, roſa, ſis felix; nec tantum Phœbus honorem
  Lædere, nec tantum lædere poſſit hyems.
Unde tibi nullâ decor hic imitabilis arte?
  Unde verecundis indita flammâ labris?
Hic color Auroræ eſt, croceos dum ſumit amictus,
  Dúmque jugat roſeos, prævia Solis, equos,
Non ita ſe jactat pomis autumnus, & uvis,
  Ut ſe purpureâ tempora verna roſâ.
Eſt roſa flos florum, narîſque oculíſque voluptas;
  Ver ut honos anni eſt, ſic roſa veris honos.
Felix! quæ bifido coluit te dextera raſtro:
  Felix! qui tantas protulit hortus opes.
Felices Zephyri, qui nectaris imbre pudicas
  Sparſiſtis, pennâ morigerante, comas.
Non talem Gnidiis Venus aurea legit in hortis,
  Non talem Alcinoï gleba, vel Hybla tulit,
Non talem Heſperidum, non talem Gnoſſia tellus,
  Non talem Siculo nutriit Enna ſinu.
Jam noſtrâ carpêre manu roſa, nobile germen,
  Et natalitij filia verna ſoli.
Dúmque volens iret ſimulatum carpere ſertum,
  Cinget, ait, noſtras floſculus iſte comas.
Hactenus; at placitum tentat dum tollere florem,
  Difficilis dextram noluit ille ſequi.
Aggreditur fallacem iterum convellere plantam,
  Sed videt eluſas flore tenace manus.
Novit ubi picti ſimulachrum ſutile veris,
  Non eſt Naturæ, dixit at artis opus.
Erubuitque ſuum vultu confeſſa pudorem,
  Et jacit ad ſummum talia dicta Jovem:
Huccine virgineæ progreſſa induſtria dextræ;
  Luſerit ut ſuperos una puella Deos?
Si te tanta meæ capiunt faſtidia laudis,
  Si tuus à nobis tam levis errat amor.
Quære aliam, quæ curet opes, & vellera veris,

Laus animo post hæc excidet ista meo.
Quò mihi ruris honor, commissaque gratia florum?
Si meus humanâ vincitur arte labor?
Si vilis nostra est, tua sit tibi gloria curæ;
Tangit, si nescis, te meus iste dolor.
Nam si cura hominum nostros exæquet honores;
Mox etiam flammas, qui jaculetur, erit.
Ausus id Æolides, dum non imitabile fulmen,
Et tonitru resonis fingit inane rotis.
Ausus & Enceladus, dum molibus addita moles,
Arduaque ingestum Pelion Ossa tulit.
Vel tua te moveat, vel spretæ injuria Floræ,
Nam pariter læsi, numen utrumque, sumus.
Sic ait, & densæ penetrans umbracula sylvæ,
Dicitur iliceis delituisse comis,
Nam qui punicei decorabat stamina floris,
Ille rubor roseæ pinxerat ora Deæ.

APODOSIS ALLEGORIÆ,
Ex illo Libro 4. Esdræ. Fugite Umbram sæculi hujus.

Nobilis hortorum præses non unica Chloris;
Rebus adumbratis quæ capiatur, erit.
Ah quoties picturâ animum deludis inani,
Quæ legis hos, pubes ambitiosa, jocos.
Ah quoties levium captas simulamina rerum;
Dum tibi non solidum corpus, at umbra placet.
Nimirum tibi vanus honor, tibi gloria ridet:
Quæ velut unda fluit, quæ velut aura fugit.
Sic malè dilectæ dum respicit ora maritæ,
Quam trahit è Stygijs Thrax citharœdus aquis;
Hæc Zephyro levior, prendique, & prendere captans,
Evolat Ismarijs irrevocanda modis.
Cuncta levi nebulæ, volucrique simillima somno
Depereunt, ut jam nulla fuisse putes.
Quò raperis, juvenilis amor? mendacia fuco
Illita

Illita jamdudum desine velle sequi.
Et veras, quas nulla dies, nulla auferat ætas,
(Si tibi mens non est læva) sequaris opes.

EXAMEN APUM IN AMORIS PHARETRA MELLIFICANS.

LUDUS ALLEGORICUS

ELEGIA TERTIA.

LASSULUS & studio jaculandi, & lassulus æstu.
Quærit ubi jaceat mollè reclinit Amor.
Fons erat; &, gelidi circum gemmantia fontis
Gramina, nexilibus myrtea sylva comis.
Mollis hujus varios in serta nitentia flores,
Et folia in placidum sufficit herba torum.
Huc postquam Veneris soboles pharetrata recessit,
Exuit ex humeris, quæ gerit arma, suis,
Suspenditque habiles, quos ante retenderat, arcus,
Hic ubi mellificas sylva fovebat apes.
Improbulúsque puer, quà sessilis herba, resedit,
Inque soporifero se dedit esse toro.
Dùmque quot ipse faces, quot jecerit ipse sagittas,
Et numerat dominâ parta trophæa manu:
Languidulis inopina quies subrepsit ocellis,
Quam ciet irriguæ somnifer error aquæ.
Quàmque invitat apis, tremulà dum voce fritinni,

Dúmque ſatas circum baſiat illa roſas.
Iámque recinatum placido lenimine corpus,
 Intima mulcebat lapſus in oſſa ſopor.
Agmen apum, tonſo per amœna vireta roſeto,
 Dives ad ambroſium fortè redibat opus.
Inque ſagittiferam populatrix turba pharetram,
 It, referens multo cruſcula plena thymo.
Nimirum, æqualis ſpecie deluſa figuræ,
 Se putat in proprios in volitare lares.
Hîc latet, & liquidum ſtipat levis hoſpita rorem,
 Et pharetram Hyblæis tingit, & arma favis.
Iamque fatigatos ſomno reparaverat artus,
 Aliger, & Cypriam cogitat ire Paphon.
Ergo cavam ramo, cui credidit ipſe, pharetram,
 Diripit, hanc humeris aptet, ut ante, ſuis.
Ecce tibi toto volat aëre ſtridula nubes,
 Palantúmque errans turba vagatur apum.
Non aliter quam cum tepidis ſuper incubat ovis,
 Spémque ſuæ gentis mater amica fovet.
Si quis avem prenſurus adit, nidóque propinquat,
 Evolat, & celerem carpit in arva fugam.
Sic Amor armiferæ raperet dum pondera thecæ,
 Exit apis ſubitâ, quâ data porta, viâ.
Attonitus puer intremuit, ſubitóque pavore
 Excidit è trepidâ lapſa pharetra manu.
Dum dubitat, dolus, an virtus, an caſus, an error,
 Impulerit teneros in nova caſtra choros.
Una levi jaculo puerum violavit Amorem,
 Et roſeam pupugit parva meliſſa manum.
Senſit, uti tener eſt, nulláque in veſte, dolorem;
 Terque repercuſſo ſubſilit ille ſolo.
Hîc, ego neſcio quis, plagâ gaviſus Amoris,
 Riſit, & argutâ voce jocatus, ait:
Quæ toties læſit, toties quæ fixit amantes,
 Dextra ſemel vulnus debuit illa pati.
Et riſegæ ſimul ex oculis abiêre colonæ,

Et simul est pueri jussus abesse pavor.
Attollit puer arma solo, quæ lapsa jacebant,
Et gravius pharetræ melle fluentis onus.
Auribus auscultat (nam lumine captus utroque est)
Immemor in pharetrâ si qua remansit apis.
Nulla remansit apis, sed inemta (fidele locati
Alveoli pretium) mella reliquit apis.
Dum fluido abstergit stillantia spicula rore,
Et gaudet mellis munere lætus Amor.
Dumque favos cupido pueriliter ore ligurit,
Et linguit bibulis deflua mulsa labris:
Blanda quies mihi sæpe meos premat, inquit, ocellos;
Dummodo sic, vigiles, mellificetis, apes.
Inque novam subeat deducta colonia cellam,
Penset ut hospitium melle melissa suum.
Non tamen hæc nobis gratis concessa voluptas,
Namque dolore gravi vulneris emta venit.
Pectora vulneribus quis non ferat obvia nostris,
Quæ lita mellito nectare tela ferent?
I procul, exclamat, qui fortè astabat Amyn as,
I procul, atque aliò vulnera verte, Puer.
Nam quamquam madeant tenui dulcedine mellis,
Plus tua, plus multo spicula fellis habent.
Scilicet has agitat rerum Natura choréas,
Hic rotat humanas mutuus ordo vices.
Ut dulcoris amarities, ut gaudia luctûs,
Utque voluptatis sit comes usque dolor.
Succedit nocti ipsa dies; nox ipsa diei,
Jungitur & socijs spina marita rosis:
Sorte pari sese excipiunt dolor atque voluptas,
Alteráque alterius cernitur ire comes.



APODOSIS ALLEGORIÆ.
Ex illo Ecclesiast. cap. 11. Brevis in Volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius.

Virgineæ volucres, quis vos malus impulit error,
Melle pharetrati tingere tela Dei?
Ille puer Veneris? Veneris vos nescia pubes;
Innuba vos estis turba, sed ille salax.
Vos nisi proritet, nemo data vulnera sentit,
Ille vel invitos lampadis igne ferit.
Urbibus ille frequens habitat; vos ruris amantes,
Vos operosa cohors; desidiosus Amor.
Ille arcum & pharetras, & inerti lampada dextra,
Nil gestat, præter spicula, vestra phalanx.
Usus amicitiæ dispar: vos esse soletis
Agricolis comites; Regibus ille comes.
Vos humiles habitare casas; ille atria latè
Incolere, & Regum tecta superbus amat.
Insyncerus Amor; vobis syncera voluptas.
Vos datis innocuum, dat grave vulnus Amor.
Dum licet, ite procul, pharetram vitate nocentem:
Non bene vobiscum convenit ille puer.
Ite, iterum moneo, vestri si cura pudoris,
Si Venus est odio, cur sit amicus Amor?
Ille hominum nulli parcit, nulli ille ferarum:
Ah vereor; vobis ut quoque parcat Amor.
Nec bombis possit puerum terrere, vel armis,
Ridet enim vanos, spicula vestra, metus.
Hæc ego dum canerem, Nescis, mihi dixit Apollo,
Ante oculos subitò visus adesse meos:
Nescis, quantus amor sit apem, sit & inter Amorem,

Frater Amor pene est; penè melissa soror.
Nam cui mellilegæ fraterculus esse sororis,
Si nil dissimulet, non videatur Amor?
Quos tu dissimiles, similes ego moribus ambo:
Quos tu dispariles, hos ego credo pares.
Nec malè apis pharetram subit hospitis hospes Amoris:
Commodiùs nullum legerit illa favum.
Æmula apis gemini mores imitatur Amoris,
Illa suis pennis evolat, ille suis.
Dulcis amaror api est, & dulcis amaror Amori:
Pungit, & ungit apis; pungit, & ungit Amor.
Et sua gestat apis, & Amor sua spicula gestat,
Spicula figit apis; spicula figit Amor.
Lædit apis jaculum; jaculum quoque lædit Amoris,
Nulli apis, & nulli par quoque parcit Amor.
Vulnus utrumque nocent; & vulnere fixa sub imo.
Tela relinquit apis; tela relinquit Amor.
Par sit utérque licèt, dispar reperitur in uno.
Mellis abundat apis; fellis abundat Amor.

MUSCARUM QUERELA.

LUDUS ALLEGORICUS.

ELEGIA QUARTA.

SI vanis non vana fides sit habenda Camænis,
Protulit hos nuper musca locuta sonos:
Quas Natura negat, trudit gravis ira querelas;

In tantis neque non dare verba malis.
Lædimur innumeris, gens lædere nescia, pœnis;
Et patet in nostras area lata cruces.
Quotquot & insidiis, & aperto Marte parantur
Sunt mihi, sunt generi damna parata meo.
Nos licet in longum vexet sitis arida tempus,
Tantillæ dabitur non tamen usus aquæ.
Molliter appositas si fortè liguriat escas,
Pransura exiguo sobria musca cibo:
Libatas properante dapes vix ore momordit,
Cum revolat trepidam carpere jussa fugam.
Non ita Trojugenas pavet importuna Celæno,
Ambesas avido dum rapit ore dapes.
Non ita pastores, dum bellua nata saginæ,
Incustoditum raptat ovile lupus.
Et tamen hæc parasitus edax, hæc fercula rodat,
Qui solet artifici subdolus ore loqui.
Pellendis quicumque moves muscaria muscis,
De nihilo, nobis invidiose, furis.
Quantum erat ut minimo patereris pellere victu,
Quæ lacerat dudum viscera nostra, famem.
Non Siculis condita placent obsonia mensis,
Nec juvat esse tuas, Sardanapale, dapes.
At satiet (quid enim levius gens nostra precetur?)
Quælibet esca famem, quælibet unda sitim.
Esuriisse parum est, trepidasque fugante flagello,
Jam prægustatis abstinuisse cibis.
Ignaræ, quò fata vocent, quò tendere detur,
Ponimus in nullo tempora certa loco.
Nam vaga progenies patriis sine sedibus errans,
Hospes in alterius cogitur esse domo.
F agit avis nidos, apis alvear, talpa cubile,
Et formica suos incolit hospes agros.
Musculus effosis, latitátque cuniculus antris,
Et fera nocturno sub Joue nulla manet.

Nos laris expertes, propriisque penatibus orbæ,
  Quærimus incertos, gens peregrina focos.
Campestres hoc more Scythæ per rura vagantur,
  Quorum rite trahunt stridula plaustra domos.
Non tamen exulibus hæc pœna novissima muscis,
  Damna vagum cruciant ulteriora genus.
Vix blæsus dare verba puer, vix nosse parentem,
  Vix signare rudi poplite cœpit humum.
Sævit, & innocuis infensa puertia muscis,
  Redditur in nostras ingeniosa neces.
Nos exporrectâ captat cava dextera palmâ,
  Dumque habet, in pugnum cogitur arcta manus.
Nos nec-opinato vola prompta supervenit ictu,
  Nec patitur longas præcipitata moras.
Est, paleas quæ ponè trahat, plumasque sequaces,
  Est, quæ cassa suo vertice cæca volet,
Hæc truncos lacerata pedes, alternáque nutans,
  Claudicat obliquo non bene nixa gradu.
Altera debilibus se trudere nititur alis,
  Facta pedes subitò, quæ prius ales erat.
Denique si nostræ tentem numerare cohortis,
  Vulnera, vix numerum vincet arena meum.
Hæc facies, hæc est crudi Mavortis imago,
  Dum caput ense ferox amputat, ense pedes.
Vix patet in tantas spatium breve corporis iras;
  Nostráque sunt ipsis membra minora malis.
Alitis in minimæ tenuem compacta figuram,
  Mole carens, expers pondere, musca feror.
Nos minuit damnosa dies, ætásque parentum
  Censuerat reliquas nos prius inter aves.
Corpora quæ fuerant olim, corpuscula fiunt,
  Decrescuntque suis attenuata malis.
Quin etiam bifidus male cautas corripit asser,
  Quem prius illivit melle tenace liquor.
Credula dum pubes medicatum currit ad escam,

Aut quæ causa tuas vertat in arma manus.
Nec ſtetit hîc clades, damnûmque autore levarem,
Cæſaris auguſtâ procubuiſſe manu.
Nos avis inſidians non uno intercipit aſtu,
Et miſera obſcœni gutturis eſca voror.
Mandit hians, laceróſque trahit crudeliter artus
Paſſer, in exitium nata vorago meum.
Non lepus in leporem ſævit, non urſus in urſum;
Et furit in diſpar bellua, quando furit.
Inter ego reliquas meritò numeranda volucres,
Degeneres patior ſola volucris aves.
Non ſat erat certos nuſquam coluiſſe penates,
Non ſat in infidos inſiluiſſe dolos.
Non ſat Cæſareis toties cecidiſſe ſub armis,
Non ſatis inſanâ penè periſſe fame.
Non ſat erat fatuæ ludibria ferre juventæ,
Non ſatis innumeras ſuſtinuiſſe neces.
Alitibus data præda voror; quæ crimina feci?
Crimina ſuppliciis digna putanda meis?
Sic reus, Auſoniæ præbens ſpectacula turbæ,
Amphitheatrales paſcit edendus apros.
Quo merui tantas ſceleris molimine pœnas?
Quæ maculant mores facta nefanda meos?
Ex merito quidquid pateris; patiare lubenter,
Qui tulit indignus vulnera, flenda tulit.
An face ſacrilegos templis admovimus ignes?
An dedimus tacito toxica miſta dolo?
An ſcelus eſt, equitare leves ſuper ætheris auras:
Si ſcelus eſt, ſociæ criminis eſtis, aves.
Dicite; quæ minimas damnaverit urna volantes?
Noſtràque quo tandem judice cauſa cadat?
Si quis forte meo dicat ſe vulnere læſum
Non equidem meritam nolo ſubire necem.
Sanguis ubi eſt? ubi plaga meis inflicta ſagittis?
Noſtra probaturus crimina teſtis ubi eſt.
Cogimur indictâ morti ſuccumbere causâ,

Causidici partes nemo tuentis agit.
Et ne quid nostro possit superesse dolori,
Ultimus accedit in mea fata dolor.
Cætera securos agitant animalia Soles;
Sint licet humanum lædere nata genus.
Me, quia non lædo, nullis quia vindicor armis,
A tergo insequitur pœna, premítque comes.
Formicæ sua bilis inest, & aculeus hæret,
Transigit illæsos non minùs illa dies.
Lædit apis, jaculóque suos armatur in hostes,
Et tamen armigeras educat hortus apes.
Tuta manet, resonæ quamquam supet arbore sylvæ,
Obstrepat assiduis rauca cicada sonis.
Quamlibet exugant puléxque, culéxque cruorém,
Rara tulit pulex vulnera, rara culex.
At nos, parva cohors, circumvolitamus inermes,
Nullus aculeolus, nulla proboscis inest.
Ducimus innocuam solæ sine crimine vitam,
Et solæ in pœnam, turba parata, sumus.
Est & in hoc aliquid, socios habuisse pericli,
Et levius tangit publicus ossa dolor.
Crudelis teneræ mater dum parcis alumnæ!
Impia! dum nimium te probat esse piam.
Cur ego vitales nascebar in ætheris auras.
Cur ego materno nutrior orta sinu.
Debueram gravidâ cecidisse parentis in alvo,
Quâque recens orior, hâc ego luce mori:
Quæ mihi prima dies, utinam suprema fuisset.
Opprimerer tantis non ego musca malis.
Vos ô pennigeræ, generis pars maxima nostri,
Vos moveat vestræ causa sodalis, aves.
Decrescam licet in tenuem macilenta figuram
Muscula, vestra tamen glorior esse soror.
Nam cur dissimilem. cur nos reverentia tardet.
Vel cur impediat vera referre pudor.
Parca mihi, fateor, molem Natura negavit,
Sed clara ingenij dexteritate feror.

Non ero dedecori vestris comes addita turbis,
Quamlibet exili corpore parva volem.
Ut graciles philomela brevis tenuetur in artus,
Pars tamen est vestri non inhonora chori.
Falco vorax, corvíque avidi, milvíque rapaces,
Quæque astas Domino fida ministra Jovi:
Irruite, & nostros properate minanter in hostes,
Nos consanguineum prosit habere genus.
Nec nostræ moveat vos sola injuria cædis,
Nam furor in reliquas tam gravis ibit aves.
Postque triumphatas, infirma examina, muscas,
Alituum hæc clades imperet omne genus.
Tu, quicunque piam bello premis impare gentem,
Debueras titulis consuluisse tuis.
Fulminei rimare sagax vestigia pardi,
Ausus in hirsutas cominus ire feras.
Strenuus in Libycos venabula stringe leones,
Materies iræ non sumus apta tuæ.
Semper ab eximio quærenda est fama triumpho,
Quis tibi de nostro sanguine surget honor.
Quæ geritæ therei vulcania tela Tonantis,
Non nisi se magno sanguine pascit avis.
Non timet Armenios tenuis formica leones,
Non facit ad tantam tantula præda gulam.
Magnus in angustis nunquam furit Æolus undis,
Nec Jovis exiguas fulminat ira casas.
Nos solæ patimur, trucibúsque lacessimur armis,
Quanquam habeat nullum, nos superasse, decus.
Si meruit gens nostra mori, nos dedite morti,
Demite tot pœnas, mors data munus erit.
Si nec cur pereat, nec cur moriatur, habetis,
Parcite muscarum perdere velle genus.





C ij

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo 1. Regum, cap. 2. Nolite multiplicare Loqui sublimia Gloriantes.

PErlege, quisquis is es, tituli qui captus amore,
A Phrygio jactas Laomedonte genus.
Stemmatáque innumeris depicta per atria ceris,
Fumosósque crepas ambitiosus avos.
Frustratur pueros, cassóque labore fatigat
Stridulus in pennâ versicolore culex.
Desudant, magnóque petunt molimine muscam,
Mercedem hanc tanti summa laboris habet.
Aucupium puerile vides, & dulcè renidens,
Hei mihi, quò tantus, dicite, sudor, ais.
At tu damnandus majore videbere risu,
Si foret hæc æquo lis agitanda foro.
Qui steriles nugas, vacuæque crepundia mentis,
Et qui, nescio quid futile, vanus amas.
Nam dum purpureâ volitat favor aliger aulâ,
Quem peperit blando spes male-sana sinu:
Venaris ventosæ in hians ludibria pompæ,
Ut sequitur, viso papilione, puer.
Discurrísque auceps laqueata palatia circum;
Nam res est tetrici plena laboris honor.
Exultas, spolióque tibi grataris inani,
Incidit in cupidas si vaga præda manus.
At pretium muscâ levius, quis nescit honores?
Quos sobolem virtus abnegat esse suam.
Invidiam pueris male provida detrahit ætas,
Sed tu, quâ veniâ dignus habendus eris.





RAPTUS
PASSERIS.
LUDUS ALLEGORICUS.
ELEGIA QUINTA.

NUNC largos, si quando, oculi, nunc fundite fletus,
  Nulla de hinc major causa doloris erit.
Ah! si quem mea damna movent, suspiria jungat,
  Nam minor est, alio, sæpe, dolente, dolor.
Ah passer periit, volucrum suavissima passer;
  Jam dolor, ante animi lusus, amórque mei.
Hunc ego nutrieram, dum vix lanugine tectus,
  Involucris nido pipilat ille suo.
Ille levi saltu doctus, trepidantibus alis,
  Sæpius in nostros involitare sinus.
Pileolúmque agilis saliente subire volatu,
  Dum patulam nudo vertice monstro viam.
Assuetus me ponè sequi, me nosse vocantem,
  Ut sequitur dominam fida catella suam.
Scansilibus digitis solers leviore rotatu,
  Sæpe per alternas ire, redire manus,
Quàm pulchellus erat; nitidis dum tingitur undis,
  Et scabit unguiculo molle fricante caput.
Depectitque leves plano super æquore plumas,
  Ne qua suo excedens ordine turpis eat.
Obvia lympha sitim facili de fonte levabat,
  Vescaque nux, nullis sumptibus emta, famem:
Aut fucus bifidi captatus acumine rostri,
  Ruris & innocuæ, grana minuta, dapes.

Si quando ſolitas vacuus non traderet eſcas
  Alveus, aut ſolitas parvus aqualis aquas :
Hìc modò pes, modò penna jocans, modó raſile roſtrum
  Officij altricem commonuêre manum.
Et modò jejuno furatus amygdala roſtro,
  Si repetam, pleno ſtridulus ore fugit.
Et modò, virgati captivus arundine clathri,
  Per teretes radios irrequietus abit.
Quid ? quod abire domo docilis, rursûmque reverti
  Sueverat ad proprios, nocte jubente, lares.
Quàm morſus dabat ille acres, dum, percitus irâ,
  Iret in infenſas, ore minace, manus.
Tantus erat dum bellum ageret galeatus Achilles,
  Tantus, dum Danaos ureret, Hector erat.
At poſtquam placidæ conceſſerat alitis ardor,
  Et poſito irarum turbine, mitis erat;
Non illo pullus pipiebat amantiús alter,
  Non illo pulſus blandior alter erat.
Callebat, Dictynna, tuas paſſerculus artes,
  Nec tu venatrix unica figis aves.
Si qua foret, tremulis quæ ſe temeraria pennis,
  Vellet in aërias tradere muſca vias :
Hanc meus aſſultu rapiebat mordicus ales,
  Tam citus in leporem vix ſolet ire canis.
Segnius incautam venatur aranea prædam,
  Accipiter Paphias ſegnius urget aves.
Heu ! tam bellum animal rapuit, mala bellua, felis.
  Penè vetat mutus dicere plura dolor.
Raptus es (ô juſto deſunt lamenta dolori)
  Paſſer, inexpletæ nobilis eſca gulæ.
Raptus es inſidiis, & iniquâ fraude peremptus,
  Nec tu legitimo Marte, ſed arte cadis.
Non ſecus Iſmarij periêrunt caſtra Tyranni,
  Non ſecus Argolicis Pergama capta dolis.
Clauſerat, ut mos eſt, ſolitæ poſt fercula cœnæ,

Flexibili textus vimine carcer avem.
Suspenso taciturna gradu vestigia felis
Librat, adornandis bellua nata dolis;
Sensímque adrepit, nullo inspectante, scelestus
Proditor, & tacitus textile limen adit.
Ter, quater, in caveam, pede concutiente, resultat,
Ter, quater, illa gravi verbere quassa tremit.
Sed tandem assurgens graviore repercutit ictu,
Illa repente suo pondere tracta ruit.
Et ruit, & fragiles ruptâ compagine virgæ,
Protinus in partes dissiluêre suas.
Mille fugit, refugítque viis peritura volucris,
Prævolat, accelerat, prosilit, errat, abit.
Insequitur, spatiísque vorax propioribus urget
Captatam patulo gutture raptor avem.
Ac velut inclusum pennæ formidine cervum
Pressat anhelanti vividus ore canis.
Ille autem insidiis, circóque inclusus iniquo,
Ambiguo curvos circuit orbe dolos:
Instat agens Umber, rictúmque extendit hiantem,
Rostra sed elusis concrepuêre minis.
Non aliter, stimulante fame, premit helluo felis
Pennigeram cursu proximiore feram.
Prædæ inhiat,volucremq; avido propè devorat ore,
Subtrahitur patulæ sed tamen illa gulæ.
Nam circumsiliens huc mobilis errat, & illuc,
Et relegit primas irrequieta vias.
Postquam nulla fuit volucrem captare potestas,
Impatiens vires acriter ira movet.
Præcipiti sese saltu jacit hispidus hostis,
Et miserum arripuit lurco gulosus avem.
Ales agit sese, & molimine versat inani,
Bisque intercluso gutture tristè pipit.
Scilicet æluro jam conficiendus ab hoste,
Quâ poterat tardum voce vocabat herum.
Corripui, sed serò, gradum: madet aula cruore,

Pluma volat toto ſanguinolenta ſolo.
O ſcelus ! ô noſtræ raptor violenté volucris !
Quò tua te ingluvies , helluo turpis , agit ?
Eſt tibi venari ſolos data copia mures ,
Quis dedit in noſtros hoc tibi juris aves ?
Non eſt illa tuæ cœna opportuna ſaginæ ,
Tam lauta ad ſtomachum non facit eſca tuum.
Non longùm , male prædo , tuâ lætabere prædâ ,
Diluet indignum debita pœna nefas.
Gaudeat hoſtili ſi paſſeris umbra cruore ,
Læta ſub Elyſiâ valle volucris erit.
Æacidæ ad tumulum virgo Priameïa fuſo
Placat Achilleos ſanguine tincta rogos :
Sic ego , ne fato nobis præreptus iniquo ,
Ales ad infernas tendat inultus aquas ,
Mactabo felémque reum , feléſque nepotes ,
Nullus & è totâ gente ſuperſtes erit.
Felis avus , felíſque gener , feléſque ſorores ,
Cúmque ſuâ occumbet poſteritate parens.
Vos , quibus incolitur pennis agitabilis aër ,
Garrula gens , agmen penſile , picta cohors ;
Quæque terebrato pullos excluditis ovo ,
Exitium veſtræ flete ſodalis , aves.
Flete , ſed antiquum flendi modò vincite morem ,
Nunquam aliàs poterit juſtior eſſe dolor.
Non ſolito contenta ſono philomela querelas
Integret , argutis aſſociata choris.
Pica loquax , turturqûe gemens, & garrula cornix,
Alcyonéſque , pio vos decet ore queri.
Non ut moris erat , latitans in vallibus Echo
Carmen inexpletis reddat avara ſonis.
Sed totos repetant ſpelæa fidelia leſſus ,
Ipſa etiam debet tangere ſaxa dolor.
Candide flebilium , nigreſcite , cœtus olorum,
Nimirum hic habitus fletibus aptus erit.
Vos , corvi , vos triſte decet producere funus,
Qui veſtit, niger eſt , agmina veſtra, color.

Huc, volucris Phœbêa, tuos huc confer odores,
Parvus ut Aſſyrio fragret odore rogus.
Illa repentini ſecum ſolatia lethi
Deferet ad Stygias rapta volucris aquas.
Mox viridi vacuum ſurget de ceſpite buſtum,
Et notus ſimili carmine paſſer erit.

PASSERIS EPITAPHIUM.

PAſſeris hac cineres, ne quære, Viator, in urnâ;
Nil brevis hic loculus, quod tegat, intus habet.
Membra ſepulchrali tumulantur felis in alvo,
Elyſias habitat, ſi qua ſit, umbra domos.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo Eccleſia. c. 9. Neſcit Homo finem ſuum, ſed ſicut Piſces capiuntur hamo, ſicut aves laqueo comprehenduntur, Sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo Supervenerit mors..

CArmina feſtivo cecinit juvenilia luſu,
Et volucrem querulâ flevit Apollo lyrâ.
Rideat hæc aliquis, qui, quæ cecinere Poëtæ,
Ingenii nugas deſidis eſſe putat.
At nihil incautam joculari carmine pubem,
Nil prohibet teneros erudiiſſe choros.
Eſt Anſelmus avem dignatus habere magiſtram,
Quam fragili filo ſtrinxerat ante puer.
Huic pariter fertur documenta dediſſe volucris,
Cui fuit in Domini fas cubuiſſe ſinu.
Tu quoque, ne noſter tantummodo ludat Apollo,
Pauca tui vatis verba monentis habe.
Condita vimineo cantabat in orbe volucris,
Neſcia ſe fatis præcinuiſſe ſuis.
Cum ſubitò aſſurgens, nullo modulamine tactus,

Irruit in miseram felis abactor avem.
Nec sat habet trepidæ claustrum effregisse volantis,
Ipsam adeo immiti bellua dente vorat.
Sic nos, dum choreæ, positi dum pocula Bacchi,
Et tenet assiduas alea jacta manu :
Mors inopina, movens strepitu vestigia nullo,
Clam venit, & medios turbat amara jocos.

MORTIS ET AMORIS FOEDUS.

LUDUS ALLEGORICUS

ELEGIA SEXTA.

DULCIA tranquillæ pepigêrunt fœdera pacis,
Et Mors, & pennâ præpete pulcher Amor.
Ibantque assuetis armis instructus utérque
Mors sua tela, comes tela gerebat Amor.
Dúmque iter accelerant ambo, solantur euntes.
Alternâ facilem garrulitate viam.
Nam quamquam teneris infans videatur in annis,
Est tamen argutâ voce disertus Amor.
Interea clauso vesper procedit olympo,
Et placidâ suadent astra quiete frui.
Divertêre viâ pariter, tectóque sub uno,
Unus, qui geminos excipit, hospes erat.
Mox ubi se modicæ recrearunt munere mensæ,
Fortuito pharetram deposuère loco.
Inque vicem paritérque datâ, acceptâque salute,

Compositi thalamis conticuêre suis.
Jam medium nox atra polum subvecta tenebat,
Vox hominum auditur nulla nec ulla canum.
Ecce tibi verso bipatentes cardine valvæ,
Non expectato concrepuère sono.
Exanimes trepidare metu, longa atria circum,
Et ruere ancipiti, quà data porta, viâ.
Dum fugitant, repetuntque suam sibi quisque pharetram,
Alter in alterius spicula fortè ruit.
Mortis Amor pharetram sumsit, Mors sumsit Amoris.
Morsque suam falsem mutat, Amorque facem,
Jamque rubescebat pulsis Aurora tenebris,
Mors, & Amor varias corripuère vias,
Et modo mutatis facta in contraria telis,
Sauciat hæc juvenes, sauciat iste senes.
Hinc datur humanæ ludibria cernere vitæ,
Et rerum inversas discere posse vices.
Cur juvenis præreptus obit, florentibus annis,
Cur flagrat infami turpis amore senex.
Scilicet ex illo jam tempore vibrat Amoris
Spicula Mors, vibrat spicula mortis Amor.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo Cantic. 8. Fortis ut mors, dilectio.

Legerat hæc aliquis, quæ, dulcibus illita chartis,
Scripsimus innocuo carmina lusa joco.
Quàm bene, ait, Morti vates sociavit Amorem;
Et junctæ comites tradidit esse viæ.
Mors, & Amor similes tenui discrimine distant,
Lumine Mors capta est, lumine captus Amor.
Ambo pares sua tela gerunt, jaculatur utérque,
Nec fera Mors errat; nec ferus errat Amor.
Sceptra pedo, famulósq; suis Mors regibus æquat;

Sceptra pedo, & famulos regibus æquat Amor.
Mors nuda eſt;eſt nudus Amor; pharetratus uterq;
Illa ſuum jaculum torquet; & iſte ſuum.
Altera magnificos contemnit, & alter honores:
Altera congeſtas ſpernit, & alter opes.
Falce ſenes, juvenéſque ſuâ Mors falce trucidat;
Et face Amor juvenes urit, Amórque ſenes.
Palleſcit moriens; palleſcit & omnis amator:
Triſtè ſilet moriens; triſtè ſileſcit amans.
Mors moritur nullo (nam quis queat eſſe peremtor?)
Sic moritur nullo tempore verus Amor.
Et lacrymæ, & gemitus alimenta feruntur Amoris:
His alitur pariter Mors macilenta cibis.
Nec prece, nec pretio vis vincitur effera Mortis,
Nec prece, nec pretio vincitur acer Amor.
Sed tamen id diſcrimen habent,Mors omnia vincit,
Virtutem neſcit vincere turpis Amor.

PSITTACUS LOQUAX.

LUDUS ALEGORICUS.

ELEGIA SEPTIMA.

TU quoque carminibus celebrabere, Pſittace, noſtris:
Qui rarum extremo munus ab orbe venis.
Tu Domini facundus amor: tu gentis eöæ
Gloria; tu noſtris blanda medela malis.
Tu, ſociæ miſcens commercia mutua linguæ,
Garrulus alternos dàſque, capíſque ſonos.

Et lepidi, dum verba refers, vice functus amici,
Non pateris longas temporis esse moras.
Nullus amabilior, te nullus amicior alter,
Omnes, quas aër educat, inter aves.
Cedat morte suâ vivax Gangeticus ales:
A Scythico veniens Phaside cedat avis.
Si certet moriturus olor, si certet aëdon,
Iste gemens Ithyli funus, & ille suum:
Vincetur moriturus olor, vincetur aëdon:
Psittacus illius victor, & hujus erit.
Nam tantò minor est & olor, minor est & aëdon;
Quantò pluris erit, quàm cecinisse, loqui.
At modò quid referam raræ spectacula formæ?
Quam vix ipse suâ dicat Apollo lyrâ.
Pingere vix Zeuxis, Cous vix possit Apelles,
Quæ sit in hac species alite, quisve nitor.
Tantus inest, (oculis decus aspectabile) fulgor:
Tanta coloratam gloria vestit avem.
Lumina sydereas radiant imitantia flammas,
Quæ rutilus limbo divite cingit honos.
Colla rubro miniata nitent insignia torque,
Qualia versicolor colla columbus habet.
Pluma virens hebetat virides collata smaragdos:
Et prohibent liquidum rostra rubere crocum.
Innumeris pictæ radiant ornatibus alæ,
Est remorata oculos copia sæpe meos.
Non tot Apelleâ mireris in arte colores;
Non tot in Elysiis florea serta plagis.
Ipsam adeo spretis actam Thaumantida cælis
Alitis in pennas desiliisse putes.
Æmula si moveat formæ certamina Pavus:
Inferior, quovis judice, Pavus eat.
Pavus, ocellati dominæ Junonis Amores:
Quémque superbificæ ponè sequuntur opes;
Sed multò meliora latent, licèt extima formæ
Formosas longè gratia vincat aves.
Nulla, inter reliquas, quæ plurima turba, volucres,

Ingenii tantâ dexteritate valet.
Alloquium, longéque sonos auscultat heriles;
Matrem audit meliùs nulla puella suam.
Pulsanti jubet, ut valvas ancilla recludat;
Et monitor Dominum clamat adesse suum.
Vocibus hunc blandis mulcet, si forsan acerbo
In famulos rigidas intonet ore minas.
Insequitur laterísque comes spantiantis adhæret,
Et socias pariter jungit ubique moras.
Cursitat exultim, longàsque perambulat ædes:
Nec cessator iners desidiosus agit.
Occursantis Heri, puerísque meantis adunco
Et rostro illæsas stringit, & ungue manus.
Officii admonitus si fortè quid insciùs erret,
Desinit, atque animi signa dolentis habet.
Comis adulator blando complectitur ungue,
Des in amicitiæ si rata signa, manum. (moris.
Hanc dextram, hoc pacti dat amabile pignus a-
Atque ita sancitam nunciat esse fidem.
Sobrius est, minimàsque dapes absumit edendo,
Et nil, præter aquam, quod sitiatur habet.
At si quando suum non paverit altor alumnum,
Præripit incœptas hujus ab ore dapes.
Ferculàque innocuæ perturbat amore rapinæ
Appositi consors dum petit esse cibi.
Magnificas, operosa, domos, molimina Regum
Despicit, & Pariis eruta saxa jugis.
Nam tenuem caveam, radiisque ex ordine textis,
Incolit argutum garrulus hospes ebur.
Nomine quemque suo, memori sermone, salutat,
Nec satis est illi dicere, Cæsar ave.
Mille potest unus discrimina reddere vocum,
Mille unus sonos fingere, mille jocos.
Nunc pupum vagire putes, dum matris in ulnis,
Flet sibi furaci rapta volema manu.
Si rugire lubet; Lybicos astare leones;
Si latret, verum dixeris esse canem.

Nunc jures densare cygnos; nunc frendere tigres;
Clangere nunc aquilas; nunc ululare lupos.
Nunc tibicen ciet instructos ad signa maniplos;
Et vocat armigeras ad fera bella manus.
Garrulitas major, major facundia crescit,
Cum rostrum epoto tinxit, & ora mero.
Denique sic loquitur cujuslibet æmulus oris,
Ut volucrem, si non videris, esse neges.
Et modò blanditias dicit, modó jurgia nectit:
Nam modò qui fuerat hostis, amicus erit.
Sævus amabiliter, blandéque petulcus in ipsum
Intermixta jocis scommata jactat herum,
Et famulos, præter caveæ qui claustra pererrant,
Furciferósque dicax, carnificesque vocat.
Quas ubicumque cavâ demum bibit aure loquêlas,
Has docilis fido Psittacus ore refert.
Tam bene qui, tacitis tecum argutatus in umbris,
Discis ad humanum reddere verba modum:
Pene fit ut dicam, si mens quoque sectilis esset,
Particulam humanæ, Psittace, mentis habes.

APODOSIS ALLEGORIÆ.


Ex illo Ecclesiast. Qui addit Scientiam, addit & Laborem.

Psittacus humanæ referens imitamina linguæ,
Instruit impubes hac quoque parte choros.
Perdius & pernox secum meditata retractat,
(Nempe ipsas etiam gloria tangit aves.)
Ah quoties nocti, curâ defixus in illâ,
Dicitur assiduos conseruisse dies.
Ah quoties, reliquæ postquam siluêre volucres,
Ruminat auditos, nocte favente, sonos.
Nec labor incassum est, nam quæ facundior illam
Humanâ superat voce volucris avem?
Usque adeo tituli valet ambitiosa cupido,

Usque adeo pulchræ laudis honestus amor.
Tu modo, qui studiis mentem puerilibus addis,
 Si nescis, volucrem, quâ docearis, habes.
Jam longos, generose Puer molire labores,
 Nec placeat facili lecta corolla jugo.
Ardua prima via est, (quid enim manifesta negemus?)
 Et durum hirsutis vepribus horret iter.
Ast ubi pierii superaveris ardua montis,
 Te manet in summo vertice blanda quies.
Nec te futilibus capiat Venus illita fucis,
 Nec Bacchus, Veneri qui solet ire comes.
Nec trahe languidulos discincta per otia Soles,
 Nec teneant animum lectus, & umbra tuum.
Jam nunc à teneris, si quid mihi creditur, annis,
 Disce, Puer, possis quæ meminisse senex.
Doctrinâ labor augetur, doctrina labore:
 Nec venit ignavâ gloria parta manu.
At pretium exhausti manet immortale laboris,
 Fama sepulchrales præteritura rogos.
Cum circumfusæ digito monstrabere turbæ:
 Hic vir, hic est Latiæ gloria rara togæ:
Ergo volens operare, Puer, namque ipsa laboris
 (Quod minimè reris) fit fuga sæpe labor.



IMPIA



IMPIA DELPHINI PIETAS.

LUDUS ALLEGORICUS.

ELEGIA OCTAVA.

ÆSTUS erat, pronúsque dies; fessúsque parabat,
  Ignivomos interjungere Phœbus equos.
Ridebat placidi pellacia subdola ponti;
  Nullàque tranquillas aura vibrabat aquas.
Æquoris ad liquidas puer aureus astitit undas,
  Mersurus tepido lactea membra mari. (ales,
Hunc vel Hylam dicas, vel quem Jovis abstulit
  Vel sua quem visis forma peremit aquis.
Marmoreâ involitant pulli cervice capilli,
  Ridet in ingenuo nobilis ore decor.
Labra verecundo pinguntur honesta pudore,
  Ut rosa si puero lactis in amne natet. (astris,
Frons ebori, geminisque oculus micat æmulus
  Vestierat rutilas primula barba genas.
Hîc puer exutus pariter cum veste timorem,
  In medias collo se tenus abdit aquas.
Percutit alterno fluitantia marmora motu,
  Dividuumque agili corpore findit iter. (nistram,
Nunc dextram movet arte manum, nunc arte si-
  Nunc pariter plauso jactat utramque mari.
Tollitur, & summâ modò pensilis extat in undâ,
  Mox cadit & toto subruit amne caput.

D

Sub nitidis translucet aquis, ut hiantia si quis
 Lilia perspicuo condat operta vitro.
Accelerat squammosa cohors, puerique natantis
 Suspicit, egregio quod nitet ore, decus.
Æquoreos inter Proceres, pia bellua, delphin
 Formoso pueri lumine captus amat.
Miratur niveum spatiosæ frontis honorem;
 Et perit, & gelidis totus inardet aquis.
Scilicet humanam retinet sub pectore mentem,
 In piscem Bacchi numine versus homo.
Ad juvenem natat,& cupidis movet æquora pinnis,
 Laturus sociam cetus amator opem.
Aspectum delphina puer male-credulus horret;
 Et subit arreptâ litora tuta fugâ.
Quò remeas, incaute puer, te nulla sequuntur
 Monstra, sub undosis quæ tegit æquor aquis.
Squammigerum ne temne pecus,quid litora quæris?
 Quid fugis oblatam, parve natator, opem
Audimur, positâque redux formidine piscem
 Circuitu juvenis proximiore petit.
Et ridens amat obsequium, vacuúsque timoris,
 Scandit in æquoreæ subdita terga feræ.
Ut vehitur, pressisque sedet moderator habenis,
 Cæsâque sternacis terga fatigat equi,
Utque alios rotat ex aliis,flectítque recursus,
 Exiguóque agiles torquet in orbe pedes:
Non aliter subeunte salit delphine natator,
 Nec pallet medii murmur inane freti.
En puer ut mediis equitat securus in undis,
 En vagus ut charo pondere piscis ovat.
Sic tibi se quondam facilis delphinus, Arion,
 Dicitur auditâ supposuisse lyrâ.
Piscis amat, redamàtque puer, se piscis amari
 Gaudet & alterno gaudet amore puer.
Inque vicem neutérque timet, neutérque timetur,
 Una fides geminos jungit, & unus Amor.
Ludite securi, vestros qui turbet amores,

Par ô amicitiæ nobile, nullus erit.
Sed tamen hamati, Juvenis cave, ſpicula dorſi,
Aſperat armatum ſpina timenda latus.
Ne temere injectus, quanquam via longa fatiget,
Vectorem totâ deprime mole tuum.
Ni ſapis innato tibi diſſecet ilia telo,
Parce, nec unius vulnere perde duos.
O ætas teneris improvida ſemper in annis,
Et modò conſilio non ſatis uſa meo.
Ah moreris! Puer infelix, tua vulnera cerno;
Cerno rubeſcentes imbre cruoris aquas.
O fata humanis nimiùm contraria votis!
O digne interitu proſperiore puer!
Ten decuit mediis vitam finire ſub undis?
Ten'decuit durâ claudere fata nece?
Siccine commiſſum reddis pecus impia, pondus?
Impia! dum juvenis te putat eſſe piam.
Quid facies hoſti, qui ſic occidis amantem?
O amor infelix! ô inimicus amor!
Hæccine jurato merces reddatur amori.
Hoccine jam fidei pignus amator habet.
Ah quantò mallem, dum ſe puer æquore tingit,
In mediis eſſet non tibi viſus aquis.
Vel certè ſi viſus erat, formoſa natantis
Ora forent oculis turpia viſa tuis.
Nam tibi ſi turpi viſus puer ore fuiſſet,
Non ſedeat dorſo crimen, onuſque tuo.
Hoſtis amandus eris, ſi lædere pergis amando,
Eſt odium utilius; ſi tuus obſit amor.
I nunc, & cupidi blandum cape nomen amantis,
Si pueros, quos te fingis amare, necas.
Saltem redde ſuæ corpus ſepelibile matri,
Ne merſum æquoreis piſcibus eſca natet.
Hæc pueri cineres cineri miſcebit avorum,
Membra rigans lacrymis, jam ſatis uda, ſuis.
Nam modo paſſus aquas, patietur poſtmodo flammas.

Arsurus posito, corpus inane, rogo.
Sic ego clamabam, puerum miseratus amantem,
Dum fluitat mediis lugubre pondus aquis.
Piscis ut infectas rubri videt æquoris undas,
Et gravius solito pondere sentit onus.
Ah dolet, iratúsque necem sibi destinat ultor,
Et simili mortem solvere morte parat.
Nec mora; vicinam rapido legit agmine ripam,
Et siccâ corpus flebile ponit humo.
Decernítque suo non esse superstes amori,
Et pars allati funeris esse cupit.
Exanimíque super jaciens se corpus amici,
Ipso se voluit judice sponte mori.
At tu, Nauta, vagam super ora jacentis arenam,
Injice, ne rapidis sint jocus ossa Notis.
Et dic, dum tumulum præterlabêre madentem,
Sit tibi terra levis, cui gravis unda fuit.

APODOSIS ALLEGORIÆ,

Ex illo Ecclesiast. cap. 14. Memor Esto, quoniam mors non tardat.

CIrcunfusa cohors aderat, studióque videndi,
Undíque finitimis venerat acta locis.
Quæ postquam puerísque necem, sortémque dolendam,
Nil profecturis irrita flevit aquis:
Hic aliquis virgâ (virgam nam fortè tenebat)
Hoc in arenoso litore carmen arat.




PUERI DEMERSI

EPITAPHIUM.

AD NATATORES.

Occidit æquoreis extinctus Ephebus in undis,
Delphinus lethi causa, coméſque fuit.
Tu dubio quicunque natans petis æquora cursu,
Infidis ausus credere corpus aquis:
Vive memor, nec tarda putes tua funera, si mors
Non properet terris, mors properabit aquis.



HINNULUS FUGITIVUS.

LUDUS ALLEGORICUS.

ELEGIA NONA.

Vos ego, Pastores, per vestrum obtestor ovile,
Perque armillatos, agmina fida, canes: (bis
Vestra per armenta hæc, per quidquid amabile vo-
Accinit argutis garrula canna modis.
Dicite (nam reliquis meliùs cognosse potestis.
An meus hâc fugiens hinnulus egit iter.
Hos, equidem reor, ille specus, hæc antra subivit,
Pertæsus Domini jura, manumque sui.
Hunc ego, dùm capreis, damísque fugacibus insto,
Et rabidas tortis retibus arcto feras.
Hunc ego penè suâ nuper de matre cadentem,
Obstetrice tuli sedulus ipse manu.
Et candore nives, candore præibat olores,

Et nivè si candet, si quid olore magis.
Una nigro tenui fuit inter cornua labes,
Cæteraque in niveo corpore lactis erant.
Dignus is est, ego tunc dixi, qui vivat,& omnes,
Vivat io, comites concinuere mei.
Ille manum patiens sensim mansuescere cœpit;
Inque meo acclinis velle cubare sinu.
Ingenitos, quos prima dedit Natura, pavores,
Et totam exuerat jam cicur ipse feram.
Oblitus nemorisque sui, cervæque parentis,
Carpebat manibus pabula lecta meis.
Errabat feràque redux de nocte petebat
Incustodito limina nota pede.
Hunc ego perspicuas ductabam ad fluminis undas,
Ut gelidis æstus attenuaret aquis.
Huc eques in tergo residens vectabar, & illuc,
Nam docilis norat fræna,jugumque pati.
Aurea pendebant tereti redimicula collo,
Pendebat resonis tinnula bulla globis.
Cornua texebant sertis, & amica solebant
Pectinibus matres comere colla suis.
Huncsibi dum peterent iterumq,iterumque sodales,
Malo oculis, dixi, malo carere meis.
Vix tanto, Cyparisse tibi delectus amore,
Quo moriente, fugis vivere, cervus erat.
Te Superi in viridem mutant post fata cupressum,
Et fles, & tumulis flentibus arbor ades.
Æternique tenens decus immortale viroris,
In metæ faciem surgit acutus apex.
His ego,vel paribus,mihi credite, luctibus angor,
Et par, ni redeat, me quoque mœror habet.
Immemor officij, caveamque perosus abivit,
Rupit & hac unâ vincla, fidemque fugâ.
Armillata suæ subduxit colla catenæ,
Quam faber aurifici cuderat ante manu.
Nam Phaëtontêos auro cælaverat ignes,
Dum patrios juvenis non bene rexit equos.

Dicite io rursus, quas perfidus ivit in oras?
  Sit quibus in latebris, quam terat ille viam?
Dicite, sic vestros nunquam maga turbet amores,
  Nec lupus in saturas irruat ullus oves.
Sic camuris submittat humus virgulta capellis,
  Inque humilem referant ubera plena casam.
Pro quibus indiciis, pretium non vile laboris,
  Capreolo dabitur caprea juncta suo.
Quàm metuo, ne quid noceat trucis ira molossi,
  Neu viridem rubro sanguine spargat humum.
Cur fugis infelix. Vel cur feritate reversa,
  Naturæ renovas jura priora tuæ.
Aut age dic, quia nam te credulus impulit error
  Imperjuratam jam violasse fidem.
Nec, qui textilibus cingat tua tempora sertis,
  Nec puro qui te flumine tingat; erit.
Sed, quà tarda trahent turpes sua plaustra bubulci;
  Vix lutulenta tuam leniet unda sitim.
Humanis dapibus, mensæque assuetus herili
  Insipidum carpes dura per arva cibum.
Quique prius stoream, tenerumq; cubile premebas,
  Nuda super nudam membra locabis humum.
Sæpe nives, madidumq; Jovem, sub tegmine nullo,
  Sæpe privinosâ frigora nocte feres.
Sive levem Zephyrus demittat ab ilice frondem,
  Seu viridem moveat parva lacerta rubum;
Labentis folii minimo terrebere motu,
  Et metues, cum nil quod metuatur, erit.
Ah quid ages! cum te venantûm turba sequetur,
  Teque prement levium rostra sonora canum.
Ergo ades, & reduci, fugitive, revertere cursu,
  Et pacem à Domino, transfuga, posce tuo.
Ille dabit veniam, si te, tua facta gementem,
  Errati videat pœnituisse tui.
Et mores & pectus Heri placabile nosti,
  Ille nihil torvum, nil habet ille ferum. (stus.
Sed quid verba juvat, quid inanes perdere que-

Nec prece, nec querulis flectitur ille minis.
Scilicet, illectus spe libertatis inani,
Imperium renuit rursus herile pati.
I fuge, & arcanos nemorum pervade recessus,
Nostra tamen poterat tutior esse domus.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo Jobi 11. Vir vanus in Superbiam erigitur, & tanquam Pullum onagri se liberum natum Putat.

Hinnuleus teneræ typus est, & imago juventæ,
Quam vitæ allexit liberioris amor.
Lusitat exultim, mediisque petulcus in arvis
Hinnulus it latâ quò lubet ire, fugâ.
Dumque timet nullas posita formidine fraudes,
Induitur teretes credulus erro plagas.
Aut, caput hamati trajectus arundine teli,
Concidit & madidam corpore plangit humum.
Sic puer effractis cui blanda licentia vinclis
Liberat imposito subdita colla jugo;
Præfidens sibi jura sui, cervice solutâ,
Vindicat, & vanâ credulitate tumet.
Ah demens, in aperta, puer, discrimina tendis,
Dum ruis excusso crimen in omne jugo.
Te jaculo configet Amor, te mater Amoris,
Nec sat bisgeminis hostibus unus eris.
Dum licet, & nullis te Cypris adultera flammis,
Dum licet, & nullo te coquit igne puer;
Te recipe in tutum, quo te tuearis, asylum,
Purus ut ex omni sit tibi parte pudor.
Noxia libertas! nullis quæ obnoxia frænis,
Te, puer, in vitium quodlibet ire sinit.
Utile servitium, fortunatissima compes,
Arbitrii quæ te non sinit esse tui.

Musca



MUSCA ARANEÆ DOLO IRRETITA.

LUDUS ALLEGORICUS.

ELEGIA DECIMA.

DUm volito liquidas suspensa per ætheris auras,
Infima penniger pars ego musca chori;
Jam longâ lassata leves vertigine pennas,
Sisto meam, fraudis nescia, sisto fugam:
Putris aroneolus, nebulosi velleris instar,
Texuerat nullâ stamina ducta colo.
Filàque connectens filis, atque orbibus orbes,
Struxerat exitio vincla parata meo.
Nam veluti dum sylvâ errans venator opacâ
Spumantem, in cœnæ fercula, captat aprum;
Continuo variâ saltus indagine cingit,
Curvàque diversâ retia parte locat.
Non aliter patrias exercet araneus artes,
Inque suum textor pensilis instat opus.
Et variis glomerata ligans retinacula filis,
Apparat heu! nostro certa pericla gregi.
Nec prius intermittit opus, quam fraude peractâ,
Addita sint pedicis ultima fila suis.
Protinus, ut videat muscas invisus euntes,
Cautus in obscurâ proditor arce sedet.
Excubiasque suis Dux, miles, & omnia castris,
Ingruat ut visis hostibus, unus agit.
At si quid rauco circumstrepit aëra bombo,
Pervigil attentâ surrigit aure caput.

Stabat in insidiis, partesque attentus in omnes,
An daret aëriæ se vaga musca viæ.
Accedo, nullosque timens præsaga dolores,
Involo textilibus, credula præda, dolis.
At simul infremuit teneræ raucedine pennæ
Stridulus, arguto qualis ab ære, sonus:
Et concussa levi, sedeo dum lassula, tactu,
Imposito tremuit pendula tela pede:
Prævolat, intortísque ligat me prædo catenis,
Et captiva gravi sub pede colla premit.
Qualis in auritum leporem Jovis ales ab æthrâ
Irruit, & trepidas milvius urget aves.
Pro facinus! patuêre quidem, sed serius artes,
Jam fueram levium compede capta pedum.
Quid facerem? quibus usa dolis, quâ fraude redirem?
An fugerem infidam Marte, vel arte feram?
Me miseram! neque enim laqueis exire licebat,
Nulla, capessendæ spes mihi nulla fugæ.
Sic ego præmorior, rostroque eviscеror unco,
Facta venenatæ dapsilis esca gulæ.
Nam velut Ætnæo crudus Polyphèmus in antro,
Aut velut arentem sugit hirudo cutem.
Hostis araneolus laceros crudeliter artus,
Ungue rapit; mandit dentibus; ore vorat.
Et pellem, & truncas in honoro vulnere pennas,
Postibus affigit, dira trophæa, suis
At vos, si sapitis, vestræ mandata sororis,
Et memori extremos condite mente sonos.
Non solis fugienda feris sunt retia; Muscæ,
Vos sociæ, exemplo rete cavete meo.
Ne tamen ignotà capiat vos lurco figurâ,
Discite, se quali mole, vel ore ferat.
Exiguum caput est, ingentem excrescit in alvum,
At pes & reliquum cruscula corpus habent.
Sunt hæc parva quidem tortisque simillima cirris,
Sed quæ præcipiti turbine prompta volent.
Hinc vetus est; fretusque suâ levitate superbit,

Ausus in aligerum vel pedes ire gregem.
t niger est, & membra nigro sunt fusca colore,
Proditor est nigri pectoris ille color.
'alibus indiciis vobis erit agnitus hostis,
Qui gerit in nostrum bella cruenta genus.
:onsulo sic vestris ego parva sororcula rebus,
Unum utinam toto pro grege danda caput.

AT tu, pro meritis coram fatearis, Arachne,
Quæ fuit exitij causa, quis ordo, tui.
ıscriptumque pari peraretur grammate limen,
Nesciat ut vita crimina nemo tuæ.

ARANEÆ
METAMORPHOSIS.


[Lla ergo quæ patriis olim prælata puellis,
Virginei fueram gloria prima chori:
:t pater, & genitrix parvis natalibus orti,
Inclyta nec generis laude, sed arte fui.
ıàmque mihi nomen Phrygias insigne per urbes
Lanificæ quondam promeruêre manus.
It nunc è vetulo patior suspendia tigno,
Crux tignum; filum funis; & ipsa rea.
Iis ego suppliciis primæ luo crimina vitæ,
Palladis ausa operi præposuisse meum.
'elix; si nunquam miseræ spes improba laudis
Armâsset stolidas in mea fata manus.
Tu superum quicúnque audes contemnere numen,
Numen ab exemplo disce timere meo.



APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo Isaiæ, cap. 38. Præcisa est velut à texente vita mea; dum adhuc ordirer, succidit me, de manè usque ad vesperam finies me.

NE tibi det solos jocularis aranea lusus,
 Temperet innocuos Musa severa jocos;
Et modo, dum ullas metuit sibi muscula fraudes,
 Visa repentinis occubuisse dolis.
Ad lethum quocúnque loco, quocúnque paratus
 Tempore (si qua tuæ cura salutis) eris.
Nam tibi supremam Lachesis meditabitur horam,
 Quo minimè credis tempore, quóque modo.
In solio quem manè dies suspexit ovantem,
 Despicit in tumulo vespere sæpe dies.
Tu, qui multa brevi fortis jacularis in ævo,
 Te ratus in longos vivere posse dies:
Quid tibi venturos promittis inaniter annos?
 Lux micat hæc oculis fortè suprema tuis.
Dúmque petis cyathos, speculum, calamistra, choreas;
 Depröperat celeri mors tibi pensa colo.
Dúmque tibi Pyliam spondes, male-caute, senectam;
 Pendula furtivâ stamina falce metet.





LUSUS POETICI ALLEGORICI.

LIBER SECUNDUS.

AVIS CAPTIVA.

LUDUS ALLEGORICUS.

ELEGIA PRIMA.

Illa ego pennigeræ celeberrima gloria turbæ;
  Illa ego sydereas nata tenere plagas.
Illa ego frondosæ docilis citharistria sylvæ;
  Vox nemoris; volucrum gloria; veris amor.
Illa ego sollicitis solamen amabile curis;
  Clausa sub angusto carceris orbe premor.
Me cohibent armata suis ergastula virgis;
  Nec licet in patrio vivere posse polo.
O utinam implumes lacerasset vipera nidos!
  Dum cava maternus rumperet ova tepor.
O utinam in primæ periissem limine vitæ;
  Hospita dum teneras sylva foveret aves.
Non ego textilibus gemerem religata genistis;
  Nec quererer lentos ire revincta dies.
Expassis, pennata Parens, quid mollit[illegible] alis
  Fovisti tepido membra tenella sinu?
Cur tuleras nocuam nidis pipientibus escam?
  Nec caderet longâ garrula turba fame.

Debueram periisse semel, ne sæpe perirem:
  Ne morerer toties; præstitit ante mori.
Jam mihi camporum tractus, Zephyríq;recursant,
  Et nemora, & nidis lecta latebra meis.
Desertósque cavâ reminiscor in illice pullos;
  Quos modò vel coluber, vel necat atra fames.
Incola nativæ, vos turba sororia, sylvæ,
  Et consanguineo gens mihi juncta gradu.
Vos, quæ securas libratis in aëre pennas,
  Pensilis, exilium, turba, dolete meum.
Vos Aquilæ, plorate meos, & plangite casus:
  Vos ululæ, querulis exululate sonis,
Fle, rubicilla soror, luge fringilla; coturnix,
  Luctificum pennâ plange sonante solum.
Lugeat extremo reparabilis ales in ævo:
  Lugeat ærumnas pica misertà meas.
Antiquos quid mœsta doles, Philomela, dolores,
  Flenda tuæ jam nunc fata sodalis habes.
Sed ne fortè meis par pœna sororibus instet,
  Proderit has positi præmonuisse doli.
Fertilis æstivas jam triverat area fruges,
  Muneribus cumulans horrea plena suis.
Assolet innocuas quâ tempestate volucres,
  Pascere lunatâ falce refecta Ceres.
Hic ego vicini volitans ignara pericli,
  Vellico triticeas, grana relicta, dapes.
Me miseram vafer insidias mihi struxerat auceps,
  Fallere viscato vimine doctus aves.
Arboreæ mentitus erat ramalia virgæ;
  Imbuerátque suos rore sequace dolos.
Quin etiam in fraudis partem cava fistula venit,
  Prodita sic causis una duabus eram.
Dumque virescenti fido temeraria virgæ,
  Aucupe mentitis insidiante sonis.
Impedij geminas tactis medicatibus escas,
  Nec licuit vetitam vertere posse fugam.
Hîc trepido, &, versans luctamine memet inani,

Palpito, in æthereas rursus itura plagas.
Bis celerem molita fugam, bis, inutile pondus,
Hæreo; bis lento glutine vincta moror.
Visco irretitas magis ac magis implicor alas,
Quò magis infidâ surgere nitor humo.
Vidit ut arboreâ latitans venator in umbrâ;
Irruit in prædam protinus ille suam.
Atque ait, Admissi pœnas dabis impia furti,
Nec rapies messes rursus inulta meas.
Dixit & impliciti viscata coagula mellis,
Victrici properat dissociare manu.
Méque fenestrati dedit in penetralia clathri,
Cogor ubi famulos ducere capta dies.
Quid facis infelix! cur me sine crimine damnas?
Non est arbitrio lis dirimenda tuo.
Tu mecum reus es; dignas subeamus uterque,
Tu fraudis pœnas, credulitatis ego.
Te nostris graviora manent ergastula virgis,
Si trutinam libret judicis æqua manus. (deri:
Hæc ego dum queror; aut possum dum questa vi-
Obdidit angustas sedula dextra fores.
Fallimur, & verbo lapsæ peccamus in uno:
Non erat illa manus dextra, sinistra fuit.
Ah pereat, lenti qusquis medicamina roris,
Vel docuit miseras fallere primus aves.
Ah pereat, quisquis radiis, & vimine primus,
Sacrilegâ didicit texere claustra manu.
Cancellata prior qui vincula cuderat auceps,
Carcere vinciri debuit ille suo.
Sic bove mentito fertur mugisse Perillus,
Ingenio est illi pœna reperta suo.
Regi opifex dixit, latus hoc adapertile cernis,
Hos aditus, intro conjiciendus, habet.
Hactenus; at Phalaris, fies, ait, hostia, primus
Autor, & inventos experière rogos.
Nec mora combustus lentâ fornace Perillus
Monstrato falsi mugiit ore bovis.

Debuit artificem noster quoque cludere carcer:
Versaque in autorem pœna redire suum.
Debuit hæc torquere reos vindicta nocentes,
Quos versata gravis judicis urna premit.
Nil mihi labis inest, labes nisi forte putetur,
Exiguo longam farre levare famem.
Et tamen insimulor furti, dicórque subacto
Subripuisse vorax semina jacta solo.
Inde volatilius stipes vestitus abollis
Ponitur in medio, terror inanis, agro.
Id si crimen erit, non conscia nulla volucris,
Nullaque non consors criminis hujus erit.
Accipiter damnandus erat, qui sæpe minores
Alituum sævo diripit ungue greges.
Falcoque damnandus, rigidis qui semper in armis
Vivit, & infirmas fortior urget aves.
Attamen audaces describit uterque volatus,
Aëriasque vagus circinat erro plagas.
Ruris opes formica rapit, longúmque per agmen
Furtivas tacito convehit ore dapes.
Nulla tamen duras passa est formica catastas,
Nulla catenatos visa subire dolos.
Sola luo pœnas, furti damnata volucris,
Sola licet non sim conscia, sola luo.
Sed quid plura queror? quæ me priùs alite pennâ
Sustulit, illa meas dissipat aura preces.
Quàm venit ista meæ modò sors contraria sorti.
Quàm vitæ est dispar hæc modò vita meæ!
Me, prius aërias docilem volitare per auras,
Jam testudo cavi fornicis arcta tenet.
Densa interruptæ modo per discrimina cratis,
Vix oculi spatium, quò jaciantur, habent.
Quæ prius eliso frangens modulamina cantu
Crispabam tremulis rostra minuta modis:
Nunc mihi præclusis vox aspera faucibus hæret:
Oraque nativos dedidicêre sonos.
Flebilibus deducta modis lugubria fundo

Carmina, servitij nuntia signa mei.
Sæpè etiam impubi dedor jocus esse juventæ,
Quæ pedibus stringit stupea vincla meis.
Dùmque notos feror in tenues, oblita teneri,
Ridet, & è mediâ me trahit illa fugâ.
Obluctans, stupàsque volens exire morantes,
Intricor geminos illaqueata pedes.
Accedit nostris non ultima cura periclis,
Captivas solitus mandere felis aves.
Penè per insidias vitam mihi nuper ademit,
Dum varia nostros circuit arte lares.
Nunc hos, nunc illos aditus tentabat, & omnem
Lustrabat cupido lumine prædo viam.
Quid facerem? neque enim caveâ me exire licebat,
Quod superest: septis curro, recurro meis.
Jam pede quassabat repetitis ictibus audax
Bellua texta meæ dejicienda domus.
Et nisi versato strepuissent cardine postes,
Capta forem rabidæ præda futura gulæ.
Ostiolo si quando mihi datur esca recluso,
(Nempe fit ut pœnæ longior hora meæ)
Sæpè ego deluso meditor custode reverti,
Sed vetat oppositâ janua prompta serâ.
Sæpè pigros alis trepidantibus increpo ventos,
At spatio carcer me breviore premit.
Sæpè ego cancellos, & rasile vellico vimem,
Exiguam rostro sollicitante fugam.
Ast omnes scrutata vias hoc carcere claudor,
Experiens lacrymis omnia surda meis.
Cur cohibet miseram custodia tanta volucrem?
Cur patet effugio rimula nulla meo.
Cantus obest; cecinisse nocet; nocet esse loquacem,
Quæque fuit multis, est mihi lingua malo.
At prius alitibus, tunc cum meliora fuerunt
Tempora, certamen garrulitatis erat.
Nunc silet, & tacitâ volucris se voce coercet,
Si qua velit longos ducere tuta dies.

Cernite securas, examina læta, volantes,
  Quæ modo nil, quare decipiantur, habent.
Liber agit bubo; grus libera, libera cornix,
  Liber agit pluviæ graculus autor aquæ.
Me,quia sum nemorum,verisque canora voluptas,
  [Mercedem hanc metuit musica] carcer habet.
Non aliter, si sacra licet conferre profanis.
  Abdita velato vertice virgo latet:
Quam virtus, & plena Deo Ductore voluntas,
  Et vitæ in claustrum dat melioris amor:
Id tamen est unum discriminis inter utràmque,
  Quod clathrum patitur sponte, coacta fero.
Sic reus innumeris circum undique cingitur armis,
  Sic Scythicus caveæ pompa Tyrannus erat.
Sic Labyrinthei vario curvamine septi
  Semivirum implicuit Dædala Creta bovem.
Non metuam vastas pueri cognominis undas,
  Si foret Icariæ spes super ulla fugæ.
Sed mihi nulla fugæ, spes est mihi nulla salutis,
  Nulla, meis spes est nulla relicta malis.
Nulla mihi amissâ spes libertate potiri,
  Nulla mihi cælo liberiore frui.
Non erit ulla dies; quâ, fractâ compede, possim
  Libera per patrios ire, redire polos.
Non erit ulla dies; quâ vinclo exuta tenaci,
  Ire queam tribubus consociata meis.
At tu quem penes est servandæ cura volucris,
  Accipe quæ tecum fas mihi verba loqui.
Te si fortè meæ movet inclementia sortis,
  Pande catenatas, sed cito pande fores;
Pande fores, cæloque, precor me redde patenti,
  Et sine me pennâ præpete rursus agi.
Rimosum furabor iter; fac janua corpus
  Admittat modicâ semiadaperta viâ.
Longa fames talem corpus tenuavit in usum,
  Nam mihi vix macri corporis ossa manent.
Pande fores; sic nulla tuas retinacula plantas,

Nulla tuas possint stringere vincla manus.
Si tamen es scopulis & carcere durior isto ;
Hæc saltem in claustro carmina scribe meo.

INSCRIPTIO CAVEÆ

HIc gemit impositis volucris captiva catenis,
Cui dedit arctatos aucupis ira lares :
Illa quidem admissæ rea dicitur esse rapinæ,
Hanc Cereris granum si facit esse ream.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo Psalmi 141. Educ de custodiâ Animam meam.

HÆc ego dum canerem, satis est, satis, inquit Apollo :
Reddenda est tenebris lux modo clara tuis.
Siparium remove, remove simulamina, vates,
Tempus inutilibus cur teris omne jocis.
Sic mihi Phœbus ait : Phœbo sic ipse monenti
Pareo ; nam sacris vatibus ille præest.
Exhibet humanam fragili sub corpore mentem ;
Condita quæ texto vimine mœret, avis.
Utque Notos sese expediens everberat alis,
Nequicquam in trepidam se dare nisa fugam.
Sic tetricæ mens passa diu fastidia vitæ,
Increpat ingratas temporis usque moras.
Corporeâ, clamat, quis me contage resolvet,
Longa sat exilii jam fuit hora mei.
O patriâ! ô superi, Divûm domus inclyta, cæli!
Pegasus ô! ô me si quis in astra vehat!
Quod licet, huc cum voce manus, huc lumina tendo:
Quóque pedes renuunt currere, vota volant.
O, quæcunque hominum netis rata pensa, sorores,

Quas penes est vitæ summa, modúsque meæ:
Has per ego lacrymas, per & hæc suspiria, quæso,
Rumpite, præcipiti rumpite fila manu.
Rumpite; nam vinclis amat ille tenacibus uri,
Qui gravido solvi corpore cunque timet.

BOMBICIS LANIFICIUM.

LUDUS ALLEGORICUS

ELEGIA SECUNDA.

DUm meditor Bombicis opus, textique sepulchri
Fila per artificem sæpe reducta globum:
Instrue [nam simul es modulari, & texere solers]
Vatis inexpertas; docta Minerva, manus.
Tu pariter nenti, pariter sucurre canenti?
Utráque tutelæ subdita cura tuæ.
Sol ubi pulsam hyemem flammis melioribus egit:
Et victor multâ luce coruscus ovat,
Ova [gregis germen] soboli servata creandæ,
Casta nurus tepido condit, operta sinu.
Nec pudor est niveas inter fóvisse papillas:
Tanta novæ gentis gloria, tantus honor.
Ter caput eôo vix extulit æquore Titan,
Ter caput Hesperiis vix quoque mersit aquis:
Ecce [quis hoc credat?] nisi sint & lumina testes,
Incipit attonitâ serpere fœtus homo.
Nam soboles vacuas paulatim erumpit in auras.
Dum sensim insinuat mollis in ova tepor.

Si licet exiguo saxum prægrande lapillo,
Et catulis matres æquiparare suis,
Non aliter, Cadmo dentes jaciente per agros,
Prodiit armatâ fronte timenda seges.
Aspicias fervere novis animalia formis:
Dum natum excepit carbasus alba gregem.
Ut primùm hauserunt tineæ spirabile lumen,
Sollicitâ poscunt pabula lecta manu.
Proderit in validis si sedula præsit alumnis
Legitimos nondum passa puella toros:
Et super injiciat pleno studioso canistro
Quas modò virgineo carpserit ungue, dapes.
Vermiculis Thisbæa dabit reptantibus arbor,
Rodendas rauco molliter ore dapes.
Appositas jejuna cohors ruit omnis in escas,
Et curvo ambesum circinat orbe cibum. [ber:
Non tamen has appone edulas, quas sparserit im-
Tentabit tenerum, si madet esca, pecus.
Post ubi ter niveæ latuerunt cornua Lunæ:
Nec Bombix vesco germine rursus eget;
Attollit sese resupinus, & omnia lustrat;
Sicubi det fragiles alta myrica lares.
Repit in erectas ramosa per atria virgas
Et patrium fullo pensilis ornat opus.
Hîc sedes locat, hæc primi fundamina tecti,
Hac faber ovatam fornicat arte domum.
Interea nullæ stridunt in robora serræ,
Perstrepit ingrato lamina nulla sono.
Nulla redemtorum auditur vox nulla fabrorum:
Ipse sibi gnomon, ascia, libra, tudes.
Materiemque suâ sibi sufficit unus ab alvo,
Filaque nobilibus nobiliora cedris.
Id certè humanæ in primis mirabile menti,
Divitis egeries unde laboris eat.
Nam neque cæruleo cultor serit hispida lino
Rura, nec auratas forsice tondet oves.
Auricomo pretiosa tument præcordia filo,

Fœtaque inexhaustas suggerit avas opes,
Nunc plicat innatæ sinuosa volumina gazæ,
Nunc teplicat filis fila retexta suis.
Nunc variis varios interserit orbibus orbes;
Nunc gracili rarum pectine densat opus.
Fas nulli cessare, locus requiescere nulli,
Nulla labore dies, nox quoque nulla vacat.
Non tamen unius species est una laboris;
Orsus hic est, hic vix cernitur, iste latet.
Sunt qui, dum nimio laudis stimulantur amore,
Ante suum, ah miseri! procubuêre diem.
Tantus amor laudum, & texendi gloria fili,
Ut decus hoc emtum vel sibi morte velint.
Ite, leves animæ, rursumque in corpus ituræ,
Syderis in nitidum vos decet ire locum.
Si tenet astra Leo; si taurus in æthere fulget,
His quoque, me, Bombyx, judice, dignus erit.
Dum moror; interea reliqui sua vellera texunt,
Et fundunt uteri, flamina, ditis opes,
Hic graciles nebulas, & fila tenerrima ducit,
Folliculumque levi carminat ore suum.
Tenuia, vel venti, vel textilis aëris instar
L[illegible]a visceribus volvit ab usque suis,
Defixos intende oculos, subtilia possunt
Fila sub aspectum vix cecidisse tuum,
Et neque tacta putes tangi, neque visa videri.
Crassior est minimi vel levis umbra pili.
Lyncea falluntur tenuato lumina tractu,
Idque nihil jures esse, quod ipse vides.
Bombycem solerte putes à Pallade doctum,
Tam bene palladiæ perficit artis opus.
Penelopes radium, radium quoq; vincit Arachnes:
Quasque trahis, vincit, Lydia virgo, colos.
Cedit opus Regina, tuum, Sydonia, cedit
Quidquid Mygdoniæ composuêre manus.
Talia nec Belgæ discunt, nec fingere Turcæ:
Utraque gens artis sit licet hujus amans.

O ego tam dextro ducam si pollice carmen,
Quàm facili bombyx pectine fingit opus:
Credo equidem, docto carmen sit Apolline dignum
Nec mea Lethæis charta madescat aquis.
Vermiculus teretis speciem molitur in ovi,
Inque rotundatum vellera curvat opus.
Ut caput uberibus dum pomifer extulit arvis;
Autumn[illegible]que suas pandit adultus opes.
Poma, coronatos curvantia pondere ramos,
Arboribus pendent, munus edule suis.
Pendula sic plenas onerant glomeromina frondes.
Hæc plerumque oculos cepit imago meos.
Non tantum proprios bombyx operatur in usus,
Ille labore homines ornat, & ille Deos.
Velleribus sacrata suis altaria vestit,
Et sua velandis regibus extra vomit.
Vestimenta aliis, sibi providet ipse sepulchrum;
Lanæ tam dispar unius usus erit.
Nam sibi Dædaleâ quod cuderat arte lucanar:
Fit tumulus subitò, quæ fuit ante domus.
Te deceat bombix, modici quicunque sepulchri
Immemor, immensas construis usque domos.
Namque ubi defectæ metuit dispendia vitæ,
Et fati extremum sentit adesse diem.
Ut multi occursant casus, brevis omnibus ætas:
Vix ulli Lunæ tertius orbis eat.
Protinus artifici senior componitur urnâ;
Hoc ego crediderim funere velle mori.
Ipse propinquantis dispensat stamina fati,
Nec secat expletam Parca severa colum.
Ipse sibi Lachesis, pollinctor, præfica, lessus:
Ipse sibi loculum destinat, ipse rogum.
Sæpè etiam gemini tumulo clauduntur eodem,
Et socio funus jungit uterque globo.
Ac veluti vivax post sæcula dena volucris
Sternit odorifero membra novanda rogo,
Non aliter rupto bombyx redivivus ab ovo

Nascitur, & primos ducit, ut ante, dies.
Nonne vides quanto tentans molimine rursum
Nititur experto se dare posse polo?
Et tenuem fodicat, quâ se prius abdidit, urnam,
Rostello exiguam perterebrante viam:
Quique prius reptabat iners, modò carcere liber
Evolat, & segnem despicit ales humum.
Repperit in tumulo nativas divite cunas:
In cunis tumulum repperit ille suum.

BOMBYCIS EPITAPHIUM

Bombycis dum fata vides, & pensile bustum,
Quosque sibi mirâ condidit arte rogos:
Quid Mausolei miraris inania busti
Pondera, quid medio pendula saxa polo.
Aspice utrumque rogum; dices si vera fateris,
Ditius est, bombyx quod sibi struxit opus.
Quocunque in tumulo, quacumque jacebit in urna,
Non alio poterit mollius esse loco.

APODOSIS ALLEGORIÆ

Ex illo Ecclesiastici cap. 22. In vestitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris.

Tu quicunque tumes filo spectabilis auro;
Et latam panno divite verris humum:
Has tibi, si nescis; tineæ nevêre lacernas,
Hoc tibi, quo tumidus, tinctile vellus ovas.
I nunc, & Tyrios jacta tunicatus honores,
Quam geris hanc vermis gesserat ante togam.

PHOENIX

PHOENIX REDIVIVUS.

LUDUS ALLEGORICUS

ELEGIA TERTIA.

Nobilis Eoâ locus est circunfluus undâ ;
Quem primis oriens Cynthius afflat equis.
Non tamen immodicis regnata coloribus ardet,
Aut pigra brumali frigore torpet humus.
Ver ibi perpetuum, pictisque Favonius alis
Spirat, & ambrosias parturit ore rosas.
Poma recurvatis pendent demissa flagellis,
Inque ipsos veniunt sponte voluta sinus.
Ipsa suas pariunt inarata novalia messes,
Ipseque gemmifero grandinat imbre polus.
ivus inexhaustis saliens exuberat undis,
Dividuasque vago segmine fundit aquas.
Quàque coloratos interfluit unda lapillos,
Offensis queritur lenè susurrus aquis.
ratuitis sudata fluunt opobalsama nimbis:
Qualia Panchæi vix ferat uber agri.
on timet humanæ regio contagia labis,
Flagitiumque locis omnibus omne fugit.
xulat hinc & morbus iners, & curva senectus,
Et dolor, & trepidi, pallida turba, metus.
ulla machaonios præbent medicamina succos,
Phœbe tam nullus flagitat æger opem.
t vernant vegetusque vigor, lævisque juventas,
Et jocus, & sociis Nympha, Charisque choris.
ndique planities in apertum funditur æquo,
Nam neq; mons crescit, nam neque vallis hiat.



Hic sylva æternos viret indetonsa per annos :
Quæ sibi de solis nomine nomen habet.
Dum Phaëton patriis temerarius omnia flammis
Ureret, hoc sospes lucus ab igne fuit.
Dumque superfusis naret tener orbis in undis,
Deucalioneæ restitit unus aquæ.
Hæc nemora, hos ales Titanius incolit hortos,
Hæc fovet unigenam sylva fidelis avem.
Nec reliquas quæ vilis amat nutrire volantes,
Vel fugat unda sitim, vel levat esca famem
Sed thuris lacrymas, &, quæ de divite passim
Matutina fluunt æthere, mella bibit.
Relliquias superûm, dum mensâ Aurora remotâ
Impluit in bubilam fusile nectar humum.
Hunc & odoriferæ spirabilis halitus auræ.
Et cognata sui flammula Solis alit.
Has epulas, hæc unus init convivia Phœnix :
His habitat? quæ sunt jam memorata locis.
Non satis id cecinisse putat citharœdus Apollo,
Sed modo quam speciem præferat ales, habe.
Surrigitur cristatus apex, & vertice summo
Stella serenatâ nubila luce secat.
It geminis jubar ex oculis, Tyrioque veneno
Crura; rubris radiant plumea terga notis.
Antevolat Zephyrorum animas pernicibus alis,
Quas suas innato flore colorat honos.
Qualibet explicitos oculorum circinat orbes
In mediis late pavo superbus agris.
Aut hos, aut etiam numero superante colores,
Picta renascentis penna volucris habet.
Quod mirere magis, Veneris connubia nescit,
Ut reparet gentis damna vicesque suæ.
Nam sator est, sobolesq? sibi, sibi posthumus hæres:
Ipse sui generis limes, & ipse caput.
Nempe ubi millenos Phœbi rota transiit orbes :
Phœnicémque premunt sæcula dena senem :
Ut juvenes iterum melior revirescat in annos,

Sole suo nostrum mutat, & orbe solum.
Mortalésque plagas Siriæ moritura volucris
Debilior, senio membra gravante petit.
Phœnicis sibi servat adhuc Phœnicia nomen,
Quæ juvenescentem conscia cernit avem.
Arcanos palmeto petit per devia lucos.
Explicat intonsas hîc ubi sylva comas.
Tum vicina legit nitentem ad sydera palmam,
Altè quæ totum protegat una nemus.
Inter enim reliquas magis hæc accommoda plantas,
Quæ sibi Phœnicis nomen: & omen habet.
Hîc nidum victura locat, moritura sepulchrum,
Nam parat, ut vivat mortua, viva mori.
Ore simul, simul ungue suum sibi præfica bustum
Fingit adornatis immoritura rogis.
Substernit quidquid tepidis Panchaia sylvis,
Quidquid alit fœto gleba Sabæa sinu.
Quidquid & Assyrius, quidquid sibi colligit Indus,
Quidquid & ardenti sole perustus Arabs.
Mox ubi mirandum vitæque, nescique theatrum
Ipsa sui fati præscia stravit avis;
Hîc sedet; exiguas dum Sol jacit igneus umbras,
Et metâ ex æquo distat utràque dies.
Vespillòque sibi felix, circúmque supràque
Injicit arsurum frugis olentis onus.
Mox noto Tirana patrem clangore salutat,
Sèque petit flammæ missilis igne mori.
Ignigenam, dicámne pater; dicàmne peremptor:
Sòlatur simili murmure Phœbus avem.
Astrorum, cælique cliens, nemorísque sacerdos;
Quæ genus à nullo nata parente refers.
Aut tua si norunt aliquem cunabula patrem,
Edita tu magni filia Solis eris.
Exue longæ vos stratis in odoribus annos:
Et quo depereunt cætera, vive rogo.
Mortis adi, vitæque vices; tibi namque renatæ

Ipsa, vel invitâ morte superstes eris.
Ex oreris, morerisque simul, tibi funebris idem,
Natalisque idem fulget ab axe dies;
Hæc fatus, vibrat è radiis jaculabile fulgur,
Auricomum quatiens terque quaterque caput.
Decurritque volens riguo per nubila tractu,
Lux in odoriferam sponte voluta pyram.
Ecce tibi, crepitante rogo, reparanda volucris
Æstuat, atque ultro gaudet in igne mori.
Et tumulum ardentem repetito verbere pennæ
Excitat, & laterum plausibus ala juvat.
Flagrat Achæmenius succis fragrantibus agger;
Primævàmque ferax parturit ignis avem.
Viventis thalamus; tumulus morientis, & una
Officii geminas exhibet urna vices.
Interea volucri Natura laborat in unâ,
Ne pereat flammis ireditiva suis.
Parce metu, rerum ulma parens; jam sponte moveri
Incipit attonito viva favilla rogo.
Perque cavos venarum aditus sinuosus inundat
Sanguis, & arcanus gliscis in ossa vigor.
Succeditque sibi melior, falsâque renascens
Morte, senescentem decutit ales avem.
Felicem reperit, Parcâ obstetrice, juventam,
Et cunas bustum quod fuit, esse probat.
Ut vetus, utque nova est, quæ vivit & interit ales;
Nec nova, nec metus est, quæ prius ales erat.
Sic revolubilium nova per miracula rerum,
Fit modo progenies, qui fuit ante parens.
Non aliter, magici succo medicaminis, Æson
Sæcla redorditur, quæ prius orsus erat.
Alituum glomerata phalanx Phœnicis ad ortus
Advolat, & circum murmure fusa fremit.
Nec tantum viles animæ comitantur euntem,
Pica loquax; mollis passer; aquosus anas,
Ipse etiam subit accipiter, pavòque superbus;
Quæque gerit domino tela trisulca Iovi.


Et reliquæ, quæcunque volant per inane, volucres
Regis honoratum devenerantur iter.
Ille præit, claràmque volat Titanis ad urbem,
Et Pelusiacæ tendit in arva plagæ.
Relliquias, cineresque rogi pia colligit ales;
Sive rogum mavis dicere, sive torum.
Et pedibus, gratòque ferens anathemata rostro,
Solis in æde memor numeris, ipse locat.
Accurrit visura novæ primordia vitæ,
Turba paratonios quæ tenet hospes agros.
Utque operis tanti monumenta perennia restent,
Sculpitur æternis résque, diésque notis.
Turbâque miratrix, Patrias dum tendit ad oras,
Soligenam simili voce salutat avem.
Vive Parens, hæresque tui, quibus omnia cedunt,
Principium vitæ dant tibi fata tuæ.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo Ioan. cap. 5. Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.

SEd quid Achæmenios tumuli genialis honores;
Vel loquor Assyrii cinnama quassa rogi?
Fœcundosque rogi cineres animâlque renascens
Dum tardam properat sollicitare necem.
Explicat humanæ reditura exordia vitæ,
Quæ sua post vivit funera rursus avis.
Nam, spatio annorum circumvolvente, jacemus,
Inclusi modico pulvis, & umbra rogo.
Ast ubi vindicibus, quas impluet igneus æther,
Purus erit flammis, ut prius orbis aquis;
Exanimes animans mens insinuabitur artus,
Et recidiva novus serpet in ossa tepor,

Surgite, funerei, clanget tuba, surgite, manes,
  Tristis ad extremum vos citat urna forum.
Horrificum belli? non pacis amabile signum,
  Tristè coloratis proferet Iris aquis.
Nimirum medio curvabitur arcus olympo,
  Ut diro intortas vibret ab axe neces.
Judicis ipsa duas feret æquo exàmine lances
  Formidanda malis dextra, benigna bonis.
Nulli impune nefas erit admisisse piandum;
  Insontesque manet præmia, pœna reos.
Pars hominum Stygias petet execrabilis undas,
  Sorte petet meritos pars meliore polos.
Tu sapiens momenta tuæ sic digere vitæ.
  Ut omnes æthereis annumerêre choris.
Felicésque rosis; violisque perennibus hortos,
  Quos neque Sol urit, quas neque bruma, colas.



AVICULA NIDIFICANS.

LUDUS ALLEGORICUS

ELEGIA QUARTA.

CESSIT ubi Boreas Zephyri genialibus auris.
  Cessit ubi pulso frigore turpis hyems:
Arboribus sua forma redit, sua gratia campis:
  Ornatuque solum versicolore nitet.
Ludit inæquali compactis ordine cannis
  Graminis oblitas Dux gregis inter oves.
In pratis resoluta comas, evincta papillas
  Exilit alterno Gratia terna pede.
Non cessant querulæ tenerum tinnire volucres,

Et dare festivis carmina mista sonis.
Grus gruit; accipiter pipat; gallina gracillat:
Gratitat anser, olor drensat, alauda fremit.
Bubulat horrendum bubo, tu, butio, bubis;
Pulle, pipis, croticas, corve: retrinnit anas.
Trinsat hirundo: aquilæ clangunt: tu psittace, garris:
Strix stridet: cucubat noctua; milve, lipis.
Cucurrire solet gallus: cuculare cuculus:
Pica loqui, trutilas, turde: columba, gemis.
Æquoris alcyones, nemoris canit hospes aëdon:
Pupillat mediis pavo decorus agris.
Utque suæ pensent damnum reparabile gentis,
Has teneræ sobolis vividus urget amor.
Ergo, latebrosâ sedem sortita sub umbrâ,
Fingit avis luteos, Dædala texta, lares.
Parvaque metandis intenta penatibus hospes
Nidifico casulam fabricat ore brevem.
Tomentum, tricasque legens, culmosque volantes,
Textile cœnoso glutine nectit opus.
Inferior regum status est, quibus ampla domorum
Atria molitur nocte, dieque labor.
Vix tamen alta sui crevêre palatia parte,
Cum mors, cede novis ædibus, hospes, ait.
At volucris properat paucis sibi tecta diebus,
Nec numerosâ operis mole fabrilis eget.
Nulla dolabra, bidens nullus, nullæque secures,
Malleus offensâ nullus in aure sonat.
Nec ferri rigor auditur, nec plaustra trahuntur,
Nec secat iliceas stridula serra trabes.
Nulla cavis percussa gemit fornacibus incus,
Nullus cardo: foris nulla, nec ulla sera est.
Ipse locator, & ipse redemptor, & omnibus unus
Sufficit, ut totum construat ales opus.
Luxuries procul omnis abest: nec, limine primo,
Regia magnificas explicat aula fores.
Nec curvus rutilâ fulget testudine fornix,

Nec ſedet Oebalio marmore fulta domus.
Has moles, hos ridet avis paupercula luxus:
Ridet Cæſareos, pendula ſaxa, tholos.
Nam ſibi quam volucris, parviſque hæredibus arcem,
Fabricat, hæc nullis ſumptibus emta venit.
Vix ſtetit ad ſummum perducta domuncula finem,
Ipſa quidem tenuis mole, ſed arte gravis.
Hanc ſedem, ut longos nova gens ſoboleſcat in annos,
Hanc generi mater deſtinat alma ſuo.
Et ſuper expanſis germen complectitur alis,
Plumoſoſque fovet molliter ova ſinu.
Ova fovet, nidoque parens incumbit uterque,
Et varias ſubeunt fœmina, maſque vices.
Conditur oblongo, ſoboles captiva ſub ovo:
Et teres incluſâ ſtirpe tumeſcit onus.
Jamque moræ impatiens erumpere geſtit in auras
Pullulus, & cœlo liberiore frui.
Clauſa obſtat domus,atque ovi denſiſſimus umbo:
Et nullâ circum rimula fiſſa viâ.
Lumen, in anguſtos tandem inſinuatur hiatus,
Punctâque roſtelli cuſpide clauſtra patent.
Frangitur alveolus, modò natæ ergaſtula prolis:
Inque duas partes carcer apertus hiat.
Jam nullum albumen ſupereſt: nulluſque vitellus:
Et tener è vacuis ædibus hoſpes abit.
Pipilat involucer pullus; dum molle putamen
Deſerit, effractâ, lætus abire viâ.
Fragmina ne modico ſint pondus inutile nido,
Pellit in immundam provida mater humum.
Indigeſta ſalit rupto de germine proles:
Et quam, vix aliquis dicere poſſit avem.
Serpit humi, tardoque movet corpuſcula greſſu:
Nilque minus, quàm quod dicitur eſſe putes,
Vix tremulum quiddam pipienti voce fritinnit,
Vix refugo plenam ſuſtinet ore diem.
Comminuunt

Comminuunt mansam natis hæredibus escam
Aliger aligerâ cum genitrice parens.
Inque vicem dapibus rostella famelica complent,
Alternamque altrix præstat, & altor opem.
Et quoties pleno convivia gestat ab arvo,
Nutriat unde suum mater amica gregem:
Erecto tepefacta super cunabula rostro,
Conspectis inhiat garrula turba cibis.
At ubi collegit vires, roburque recepit,
Et sensim tacito tempore crevit avis;
Implumem lanugo cutem mollissima vestit,
Qualis in arboreis fœtibus esse solet.
Digeriturque suos moles informis in artus,
Jamque oculi vires, ut tueantur, habent.
Tum nova se rerum facies mirantibus offert,
Solis inaspecto dum licet ore frui.
Et circumciliunt, pennisque minoribus ardent
Mollia stramineæ linquere claustra domus.
Naturâ Matrem incipiunt cognosse magistrâ,
Turbàque nutricem palpat alumna suam.
Et plausu alarum trepido, cantúque salutat;
Quâque potest grates voce referre, refert.
It pia se rursus vastum dat in aëra mater,
Quæsitura suo fercula nota gregi.
Nunc bruchos, viridesque redit venata locustas,
Et reliquas; pleno quas gerit ore, dapes.
t licét ipsa parens ardore prematur edendi,
Abstinet à placitis sobria rostra cibis.
latasque dapes in partes dividit æquas,
Nec socius socio plúsve minúsve capit.
ımque suæ soboli justum partitur amorem;
Nulli plus æquâ parte benigna favet.
quamvis faveat, nulli tamen invidet alter;
Nec tangit fratrum pectora livor edax.
s etiam irrupto jungit concordia nexu,
Et sacra fraternæ fœderi pacis amant.
mque tot existant, nidus tamen omnibus unus

Sufficit, hæc sedes omnibus ampla satis.
Interea volucri crescens in corpore pluma
Spem facit aërias carpere posse vias.
Induitur varium proles pennata colorem,
Et secum natâ veste superbit ovans.
Nunc vacuum tremulis eventilat aëra pennis;
Et tentat, quo se tollere possit, iter.
Nunc cælum, tenuesq; loquax circumspicit auras;
Et canit indocili gutture molle melos.
Jam piget ignavos diuturna per otia Soles
Matris in egelido delituisse sinu.
Hæc ubi pannigeræ vis est manifesta parenti,
Legitimæ robur cernere prolis amat.
Et notæ subdit stimulos hortamine vocis.
Quâque poli valeant parte volare, docet.
Illa præit, sternitque viam monstratque moveri
Lentius, & celerem temperat usque fugam.
Dumque suas agitat, pullorum respicit alas,
Nec sibi, sed tenero providet illa gregi.
Jungit iter, matremque sequi non passibus æquis
Incipit attonito filia plena metu.
Nam quamquam rudis ales amet tentare volatus;
Audet inexperta vix tamen ire viâ.
It primúm pavido circum sua tecta recursu;
Et gyro nubes inferiore secat
Interdum accipiris strepitantibus excita pennis;
Palantes genitrix territa cogit aves.
Mox ubi debilibus fidens audacia crevit;
Cordàque degenerem dedidicêre metum:
Desertam exuperat soboles tyruncula matrem;
Antevolatque suam prævia turba ducem.
Et celeri ruit exultim, super æthera nisu,
Immemor ad patrios ire reversa lares.
Hac satis est cecinisse tenus; jam supprime cursum;
Et sine pennatos quolibet ire greges.
Nempe puellares frustrà vexabere plantas;
Si pedes aligeras, musa, sequaris aves

POETA
EPIGRAMMA AFFIGIT
Arbori, ex quâ Rusticus nidum dejecit.

NOn faciam, parvis ilex male-commoda cunis,
Cortice quin portes carmina pauca tuo.
Enixura pennata puerpera fœtus.
Hic mirâ exiguam struxerat arte casam.
Nam cœno, paleâque leves fabricata penates,
Tollebat generis spémque, metùmque sui.
Et reputat, nemori prolem dum tradit habendam,
Provida se rebus consuluisse suis,
Heu volucrum ignaræ mentes; gens cæca futuri!
Depositas fagus perfida prodet opes.
Nam dum mater abest, totoque volatilis arvo
Quæritat, unde suum nutriat alma gregem
Dejicit implumes nidos crudelis arator,
Porticàque in partem criminis alta venit.
Illa redit, captámque videt, quam condidit, arcem,
Et dolet hæredes interiisse suos.
Fronde sedet, longùmque gemens tristes hymenæos
Plorat, & argutos questubus implet agros,
Rusticus immitem videt absque dolore dolorem;
Rusticus es, si te non movet ille dolor.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo Jobi 4. Qui habitant Domos luteas, quæ terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tineâ.

CUm primum è patulo soboles excluditur ovo,
Et teneram vestit plumula nata cutem:
Protinus exultat, nidique perosa teporem

Tentat in aërias se dare posse vias.
Nos mortale genus, terris remoramur inertes;
Nec nos sursum animi vividus ardor agit.
Ut volucris dulces fabricatur in ilice nidos,
Et paleas misto glutinat apta luto:
Si nos, celsa quibus cœlo laquearia fulgent;
Construimus luteas, vilia tecta, domos.
Utque leves casulas primæ ætatula pubis
Fingit, & hac ipsâ castra caduca die.
Instant ardentes pueri, pars quærere culmos,
Pars properat tracto ducere plaustra jugo.
Massam alter manibus subigit, cæmentàque pistor:
Mollit aquâ mediam prætereunte viam.
Festucam gerit iste humeris sub mole labascens;
Increpitat tardas iste, fugâtque moras.
Alter anhelanti similis, similísque gementi,
Exiguæ lateres convehit orbe rotæ.
Jurares condendæ operas insistere Troiæ,
Res ita parva suum publica tractat opus.
At pueri sibi jam structâ gratantur in urbe,
Et decus eximium se retulisse putant.
Hæc videt, & ridet sapiens, ac serior ætas,
Mœniaque impacto diruit illa pede.
Sic superi rident, quas cælo educimus, arces;
Regnàque pro nido nostra volucris habent.
Quisquis is es, qui lucis amans, vitæque caducæ
Astra potes luteo posthabuisse solo;
Jam fabricata fugis, fabricanda palatia poscis,
Cúmque tibi pateant sydera terra placet.
Construimus stolidæ magnalia more volucris,
Quæ breviter vanus dat ruitura labor.
Altibus res una tamen nos cedere cogit,
Aeremus nidis turpiter ales abit.



UVA INTORMENTIS

LUDUS ALLEGORICUS

ELEGIA QUINTA.

ELUCTATA viam tenues vox fertur in auras :
  Et querulus trudit verba negata dolor.
Me fruticum regína potens, quam purpura veſtit,
  Quam decorat culto plurima gemma ſinu :
Me vitis peperit, generoſoque edita partu,
  Non minus innumeris opprimor uva malis.
Maturos quàm noſtra parens queat edere fœtus,
  Mille prius patior vulnera, mille neces.
Vix bene ſubrubui miſto variata colore,
  Vix bene lac matris incipit eſſe cruor.
Me prædo, dextráque rapit furace viator!
  Carpere dum fructum credit, aborſus erat.
Si teneris parcat populantum turba racemis,
  Ne tamen immunem vulneris eſſe putes.
Nam licet occultas mihi matre parante latebras
  Undique pampineis condar operta comis
Vinitor in matris gremio me falce trucidat,
  Duraque fert genitrix vulnera, funus ego.
Amiſſo vitem videas langueſcere fœtu;
  Ut dolet orba ſuo pignore vera parens.
Sæpe gelu, primaque putes palleſcere brumâ :
  Palloris tamen eſt unica cauſa dolor.
At dum trunca ſuis mutilatur vinea ramis;
  Falce per immites vulnera dante manus :
Illa ſuis lacrymis (ſunt hæc quoque ſigna doloris)

Illa suo totum perpluit imbre solum.
Cùmque alii frutices celso caput aëre tollant;
Et nullâ alterius sustineantur ope:
Vinea gibboso collum compactile collo
Apprimit, inflexum curva dolore caput.
Nec sibi sufficiens, humilis properit in imam;
Ni fulcrum infirmæ subjiciatur, humum.
Sic gressum molitur anus subnixa bacillo,
Vixque pedem, senio debilitante, movet.
Cur me nascentem primo non supprimis ortu?
Vel quid in hæc sobolem vulnera mater, alis?
Ah meliùs fuerat! si filia matris in alvo
Vidissem nullos ante perempta dies.
Ah quantò melius, crescenti dira dedisset
Si mihi pro solito lacte venena parens,
Et quasi defuerit, qui me prius ureret, angor;
Accumulat clades altera pœna meas.
Me volucris lacerat præacuto plurima rostro.
Sat, reor, humanæ, non nocuêre manus.
Nec satis est quod passa fui, graviora supersunt:
Et quamvis tulerim plurima plura fero.
Matris ab uberibus postquam me cruda revulsit
Dextera, nec solito nutrior usa cibo,
Trudor in angustæ tenebrosa ergastula cupæ;
Nec licet ætherea postmodo luce frui.
Vix latui ternos inamœno in carcere Soles,
Me gravior solito tunc quoque pœna manet.
Nam superinsiliens, grandes exuta cothurnos,
Pressat agens nudo rustica turba pede.
Et teror, & miseram lacerata eviscero alvum,
Dum nequeo turbæ ferre prementis onus.
Stat circum festiva cohors, mihi labra, lacúsque
Subdit, & in nostris ridet inulta malis.
Non tamen illa meis clades venit ultima damnis,
Per numeros crescit pœna, gradúsque suos.
Torqueor infelix, prelíque rotatile pondus
Exprimit ex oculis flumina larga meis.

Nam quis non lacrymis? quis non ſudore madeſcat
  Hunc ſi tam gravidâ mole trapeta molant.
Colchiea dum ſtridet querilo verſatilis orbe,
  Indolet & noſtris aggemit illa malis.
Nec prius abſiſtit prelum tornare juventus,
  Quàm fuerint corpus, pellis. & oſſa meum.
Projectum in triviis calcatur inane cadaver;
  Meque terit plauſtri prætereuntis onus.
O inventa meis mala torcularia damnis!
  Impiàque in pœnas prela reperta meas.
Pro facinus! tam dira ſolet ſævire tyrannis:
  Dum cruciat miſeros carnificina reos.
Debuit in ſolis naſci labruſca ruberis:
  Immatura ſuo ſoſpes ocore foret.
Me quia gratus odor, quia me dulcedo ſaporis
  Nobilitat, tantis maceror uva malis.
Sæpe ſuos alii flectunt ploratibus hoſtes;
  Dum lacrymor, noſtro creſcit in hoſte furor.
Quóque fleo uberius, me pœna ferocior angit,
  Et mea cum ceſſat lacryma, ceſſo pari.
Cur tamen hunc oculis dixi manare liquorem?
  Cum cruor è venis diffluat ille meis.
Siquid adhuc dubitas; rubicundum cerne colorem;
  Nil tibi præterea, quod dubitetur, erit.
Dic age, quis furor eſt; noſtro temerare cruore
  Quæ melius puris ora rigentur aquis?
At quondam primis (ætas erat aurea) ſæclis,
  Sobria ſecuram proluit unda ſitim.
Vitis erat nullos hoc tempore paſſa dolores,
  Nulla recurvatæ vulnera falcis erat.
Terra dat innocuis Acheloïa procula menſis,
  Cur gaudet noſtro ſanguine veſtra ſitis?
Sic Geta, ſic ſcythicus, gens ſanguinolenta, Gelonus,
  Sarmatáque epoti ſanguine gaudet equi.
Sic bibit humanum crudelis hirudo cruorem:
  Nec mittit vacuam, ſit niſi plena, cutem.

Non impune tamen (vestri nostra certa furoris)
A sitiente meus ducitur ore cruor.
Nam vapor immodicus subit ipsam corporis arcem
Et rotat insanus mobile turbo caput.
At quanquam titubante gradu vestigia lapsent,
Motàque fallenti sub pede terra tremat.
Et Luna, & gemino Phœbus duplicetur olympo,
Nec vacet officio linguàque, ménsque suo.
Non ideo mergunt calicum minus ora trahones,
Non ideo vino mensa minore natat.
His ego torminibus si libera fortè reservor,
Nec crucient artus prela rotata meos :
Non tamen hîc hæret tolerati meta laboris,
Altera me anxietas, me dolor alter habet.
Pensilis è summo patior suspendia tecto ;
Furca, trabes, filum, restis & ipsa nocens.
Sic reus obtorto libratur in aëra collo,
Séque agitat nec, quo sustineatur habet.
Protinus in rugas caperatâ fronte senesco :
Reddita de pulchrâ virgine turpis anus.
At postquam infami demittitur arbore prædo ;
Esse datur rabidis præda, cibùsque feris.
Me pariter numerat, postquam satis ipsa pependi,
Appositas inter mensa secunda dapes.
Siccine, Bacche, tuas ulcisceris immemor uvas ?
Siccine præsidio deseror orba tuo ?
Unica despicitur geniali vitis Iaccho :
Tutantur frondes numina quæque suas.
Palladis auxilio, teretes, florctis, olivæ :
Laurus Apollineo numine tuta viret.
Populus Alcidæ, Cybeles tutamine pinus,
Est Paphiæ myrtus salva favore Deæ.
Quercus amata Jovi foliis uberrima frondet,
Arcadio frondet fagus amata Deo.
Quin etiam invisas Pluto fovet ipse cupressus ;
Nullaque non sentit numinis arbor opem.
Sola ego destituor, solam cœlestia temnunt


Numina sola Deo Præside vitis eget.
Dic mihi, quo merui fieri tibi crimine vilis?
Quo tua te vitis læsit, Iacche! modo?
At fueram tibi chara prius, dum Thracia pubes
Erueret stirpes, rege jubente tuas.
Arma bipenniferi nobis nocitura Lycurgi
Vertit in autorem mens furiata suum.
At nunc, vindicibus tutanda fideliter hastis,
Orba patrocinio deseror uva tuó. (Indos?
Thyrsus ubi est? ubi tela nigros quibus impetis
Arma corymbiferi sunt ubi festa chori.
His tu militibus terram Gangetida vincis;
Inque capistratis lyncibus altus ovas.
Arma iterùm capias, quæ me tueantur oportet,
Inque hostes nostri sanguinis ultor eas.
Vos, quibus è nostro pariuntur gaudia luctu,
Quos cura in tàntis non movet ulla malis:
Sumite in exemplum supremi facta Tonantis,
Nam duce quis renuat vivere velle Deo.
Non nisi in aërias sævit Iovis ira cupressus;
Quæque suas alté surrigit arbor opes.
At tenues humilis quia vinea projicit umbras;
Impercussa sacro fulminis igne latet.
Parcitæ, nam miseræ posthac nisi parcitis uvæ,
Vestra erit armato sævior ira Jove.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo Psalmi 79. Vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam.

HOc mihi ludicrâ modulanti carmen avenâ
Astitit assumtâ Calliopêa chely.
Primaq; cur solidas teris, inquit, inaniter horas.
Cur vanis tempus ponitur omne jocis.
Cum tibi materies, quam lamentere, supersit,
Ingenium movit quid levis uva tuum.

Aptius aſſiduos fuerat deflere dolores,
  Veſtra, quibus, demto limine, vita dolet.
Nam fueris quocunque loco, quo tempore cúnque
  Vixeris, ærumnas perpetiêre graves.
Seu bello, ſeu pace tuos exegeris annos:
  Multa tibi belli, multa ferenda domi.
Seu littus ſecurus amas, ſeu vivis in undis:
  Plurima, quæ doleas littus, & unda dabunt.
Sive maritus eris, ſeu cœlebs: multa maritus,
  Triſtiàque in vitâ cœlibe multa feres.
Denique ut expoſitos laceratâ vite racemos
  A populo quereris prætereunte peti;
Sic vos diripiunt avidi, mala, turba, dolores,
  Vitaque, non vitis, quod fleat, omnis habet.



MUSCÆ METAMORPHOSIS

LUDUS ALLEGORICUS

ELEGIA SEXTA.

DUm nova mutatæ modulamur fata puellæ,
  (Nam modo quæ muſca eſt, ante puella fuit)
Vos ô Hamadryades, ſylveſtria numina, Nymphæ
  Tuquè pharetrati Dux nemoroſa chori:
Ferte pedem Faunìque leves, facileſque Napêæ;
  Ruſticaque auxiliis, turba, favete meis.
Captabant umbras pecudes, altuſque terebat
  Æſtifero medias Phœbus in axe vias:
Cum nemorum præſes, poſitis Diana ſagittis,
  Jam ſat, ait, comites ſylva cruoris habet.

Siſtat opus, ſolvatq; ſuam modo quæque pharetram
  Dum melior calidum temperet hora diem.
Dumque ſuis Zephiri moderentur flatibus æſtus,
  Frangat & occiduis ſe calor ipſe rotis.
Accelerant mandata Deæ pharetraſque reponunt;
  Nil fera, nil volucris, quod metuatur, habent.
Una tamen reliquas inter cunctata ſorores,
  Imperium ſurdâ reſpuit aure ſoror.
Hanc ſociæ dixere ſuo de nomine Muſcam,
  Hei mihi! non multos Nympha futura dies.
Vallis erat piceâque frequens, altâque cupreſſu,
  Quò via Phœbeis invia facta rotis.
Imminet aquatum tophis pendentibus antrum,
  Frondeâque è ſummo procubat umbra jugo.
Fons per arenoſi ſinuoſa volumina ſaxi
  Serpebat liquidâ pronus in arva fugâ.
Hic Dea montanis feſſos venatibus artus
  Tingere prægelidis ſæpe ſolebat aquis.
Quó poſtquam ſubiit, teretes ſimul exuit arcus;
  Et ſimul armiferæ tradidit arma ſuæ.
Depoſitúmque latus frondente reclinat in umbrâ;
  Garrula quà tremulo labitur unda pede:
Collectamque ſitim puro poſitura fluento
  Arida ſuſcepto flumine labra rigat.
Dúmque loci faciem miratur & omnia circum:
  Neſcia furtivus gliſcit in oſſa ſopor.
Labitur in cubitum caput, &, ſuadente ſuſurro;
  Annuit illa tuis, garrula lympha, jocis.
Vixque ſoporatos Morpheus religaverat artus,
  Vixqúe papaveribus ſparſerat ora ſuis.
Muſca nemus per agreſte ruens, per & aſpera teſqua
  Dat malè compoſitos vociferata ſonos.
Ite, mei, clamat, fidum pecus! ite, moloſſi!
  Et premite occultas nare ſagace feras.
Hic metus agricolis, & adunco dente timendus.
  Jam notus multo vulnere frendet aper.
Excuſsère ſoni ſomnos, Dea territa lumen

Tergit in herboso semisopita toro :
Et properante oculo procul omnia circumspexit ;
Quis cava clamosis verberet antra sonis.
Tandem importunam nemora inter frondea Muscam
Vidit odoriferos exagitare canes.
Tune meum removes, Nympha clamosa! saporem
Tune mei, dixit, causa pavoris eris ?
Non impune quidem saxo, crimenque piabis,
Supplicium admissi post luitura tui.
Quæque prius fueras nostris celeberrima sylvis,
Musca, mei nunquam pars eris una chóri.
Nec capreas exinde petes, nec vulnere damas :
Nulla tuâ volucris concidet icta manu.
Sed dein insidiis cautæ capieris Arachnes,
Quos modo tendebas, posimodò passa dolos.
Et ne fortè meam turbes, velut ante quietem,
Nullus in elingui mox erit ore sonus.
Léxque eadem pœnæ, feros domitura nepotes,
Ut tibi, sit generi sit quoque dicta tuo.
Desierat Dictynna loqui; nec pœna moratur,
Sed premit extremos ponè secûta sonos.
Incipit in gracilem macrescere Nympha figuram ;
Nec decor, aut species, quæ fuit ante manet.
Decrescit, sensimque breves tenuatur in àrtus,
Et penè in nihilum facta volucris abit.
Ex humeris pharetræ, è pharetris cecidêre sagittæ ;
Vixque suum virgo pristina nomen habet.
Me miseram, dictura fuit; sed labra moventem
Primus in attonito deficit ore sonus.
Jam neque primævâ grata est viduata figurâ :
Jam neque virgineus lucet in ore decor.
Quantula jam restat totâ de virgine moles,
Quantula de tantâ virgine restat avis !
Pes gracilis, subtile caput, tenuissima penna ;
Crura tenent partem, cætera venter habet.
Evolat, & placidos importunissima somnos,


Si quem sopitum viderit esse, fugat.
Et strepit & rauco circunsonat aëra bombo,
Usque adeo est primi nunc quoq; moris amans.
Sic igitur superùm sævit gravis ira Deorum,
Cum sua, quod nolunt, numina læsa vident.
Testis erit Niobe, saxum modo: testis Arachne,
Spernere victricis Palladis ausa manus.
Testis erit Calydon, testis cadmeïus Heros,
Præda fugax canibus creditus esse suis.
Et modo Musca, recens testis quæ vindice Divâ,
In minimam verso corpore transit avem.
At tibi ne veniat summum mens impia contra,
(Se siquidem graviter vindicat) ire Deum.
Sis pius, & justas, tu quisquis es, effuge pœnas,
Nullus ab offenso numine tutus erit.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo Proverb. cap. 22. Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab eâ.

Parve puer, dubiis quem lubrica flexibus ævi
Quémque suis versat prima juventa dolis:
Carmina ne Vates non proficientia perdat,
Erudiat mores fabula ficta tuos.
Alitis in parvæ tenuem collecta figuram
Quæ circum volitat muscula, Nympha fuit.
Exuit antequam Latoïde vindice formam,
Exuit ingenium non tamen illa suum.
Namlicet elinguis modo sit, tamen improba somnos
Quóque potest turbat tempore, quoque modo.
Et revolubilibus circumstrepit obvia gyris,
Dum subit irriguus lumina victa sopor.
Hinc didicisse potes, quàm sit dediscere durum,
Cum longa mores invaluêre morâ.
Nam quos à teneris alias exercuit annis,

Hos & depositâ virgine musca tenet.
Id manet, à primo quodcumque inoleverit ævo;
Et retinet primas rasa tabella notas.
Musca quiescentem non sat venerata Dianam
Supplicium nimiæ garrulitatis init:
Te quoque, si superos petulanti voce lacessas,
Seriùs, aut citiùs debita pœna manet.



ROSÆ MARTYRIUM SIVE ROSA IN CONO DISTILLARIO LACRYMANS

LUDUS ALLEGORICUS.

ELEGIA SEPTIMA.

Illa ego Pæstani pulcherrima filia prati,
Flos Veneris; Charitum gratia: Solis amor.
Illa ego, quæ vernæ retego spectacula pompæ,
Visa per innumeros vivere digna dies.
Heu morior, quâ luce orior; vix nata senesco:
Nec mihi vel gemino vivere Sole licet.
Unica lux nostrum, non amplius explicat ævum:
Quæ mihi prima dies, hæc mihi summa venit.
Quin etiam toto lux est spatiosior ævo,
Et vetor in solidum vivere sæpe diem.
Ducere quæ reliquos inter suavissima flores
Debueram plures omnibus una dies:

Facta mihi breviòr vernis quàm fratribus ætas,
  Quos ego purpureæ vinco decore comæ.
Sic superi, sic fata jubent, sic & invida pulchris
  Parca rosis vitam sanciit esse brevem.
Si mihi tot licitum saltem numerare Decembres,
  Quot folia è calathis punica pando meis:
Sorte meâ contenta forem, divesque dierum,
  Non quærerer vitæ tempora fluxa meæ.
At meus est foliis multó numerosior hostis,
  Si numeres, summæ cedet arena tuæ.
Mille modis pereo, ne mille pericula cingunt,
  Mille rosas perdunt funera; mille neces.
Illa tamen cunctas inter sævissima mortes,
  Quâ lento infelix cogor in igne mori.
Non sat erat, crudâ lactantis ab ubere matris
  Filiolam dextrâ diripuisse rosam.
Non sat erat tremuli sub lumina primula Solis,
  Ungue rapace meam deproperasse necem.
Et flammis cruciando fui! quibus impia noxis?
  Vel rea flagitii, dicite, cujus agor?
Dicite, quæ labes, quod sit scelus igne piandum,
  Quæ mihi vindicibus facta luenda rogis?
An scelus est, nascente die, quod in aëra nascor?
  An scelus est, morior quod moriente die?
Cernite participes, hæc si modo crimina flores,
  At socios pœnæ non tamen esse meæ.
An scelus est, patulis quod ego rubicundula labris
  Tollo verecundum conspicienda caput?
Accusatæ meæ nimium damnosa parentis
  Viscera quæ pulchram progenuêre rosam.
Accusate solum; Solem accusate parentem,
  Cujus ab igne meum nascitur omne decus.
Sol caput est generis, nostræq; propaginis autor,
  Hunc probat esse meum par prope forma patrem
Flavescit rutilo latè radiosus in auro,
  In mediâ rutilant aurea fila rosâ.
Eminus ille suas, ego cominus evibro flammas;

Ille ſuis radiis cingitur; ipſa rubis.
Prænitet æthereos inter pulcherrimus ignes;
Sic roſa præ reliquis floribus una nitet.
Præradiat ſtellis; ego fulguro ſydus in hortis,
Res tamen eſt, quæ nos non ſinit eſſe pares.
Ille oculis, capitique nocet; mea flammula nullos
Viſâ oculos, nullum lædere viſa caput.
Hirſutâ horreſcis ſpinoſior hiſtrice, dices:
Nec licet illæsâ te tetigiſſe manu.
Non ego diffiteor, cingit me ſpina ſatelles,
Et leviter ſummam vellicat unca cutem.
Sed quanquam hamato diſtringat acumine corpus,
Nullus ab innocuo vulnere ſanguis abit.
Et quamvis abeat, Dominam, quis ſpicula damnet
Deffendiſſe modo quo potuêre ſuam?
Quæ mediis florum princeps roſa regnat in hortis,
Cincta ſatellitio debuit eſſe ſuo.
Cum neque vel minimæ convincar imagine noxæ,
Sacrilegis meritam quo fero jure pyram?
Qui Siculo taurum fertur fabricaſſe Tyranno,
In miſeram finxit ſtannea vaſa roſam.
Artificum crudele genus! vulcania monſtra!
Diraque in exitium vaſa reperta meum!
Naſa tuum, Phalari, rurſus renovantia taurum,
Mugitus falſo qui dedit ore ſuos.
Utque luit pœna monſtri fabricator aheni,
Expertumque ſuæ pertulit artis opus:
Sic modo quæ noſtris nimis eſt fœcunda querelis,
Debet in artificem pœna redire ſuum.
At tu quem noſtræ movet inclementia ſortis,
Quique meos lacrymas triſtis in ore vides:
Ne diverſa putes noſtri inſtrumenta doloris,
Inſpice, non aliam dixeris eſſe manum.
Plumbea ſuppoſitos turris ſupereminet ignes,
Inque modum metæ longulus extat apex,
Ardet inextinctis ſubter fornacula flammis,
Fulcitur triplici machina tota pede

His

His jaceo tumulata rogis; hoc carcere claudor;
Uror in hac, quamquam sim sine labe pyrâ.
In longum cervix se guttute porrigit unco,
Quà sensim expressi fluminis humor abit.
Namque vaporiferum postquam fornacis hiantis
Implevit multo Mulciber igne sinum:
Paulatim assurgit tenui nubecula fumo;
Perque canaliculos se vapor intus agit.
Si tamen è nostris quæ lacryma manat ocellis,
Jure mihi tenuis dicitur esse vapor.
Cum tetigit convexa; gravis delabitur humor,
Inque imam recidit, vas nisi subdis, humum.
Vitrea stillatis, tumido quæ plurima dorso
Vascula circumstant, subjiciuntur aquis.
Unda quidem serpens longis siphonibus exit,
Illa sed ex oculis exiit ante meis.
Adde, quod in nostram solers fuit ille ruinam,
Qui prior excudit plumbea vasa faber.
Ut lacrymæ fluerent, longi patuêre canales,
At patet effugio rimula nulla meo.
Nulla patet, nisi parva cavi spiracula colli,
Longa quidem, at nostræ non satis ampla fugæ;
Guttatim fluidas ignis mihi subditus undas
Exprimit, & lacrymis diffluo tota meis.
Donec flaccida sensim, & torrida distillando
Extremo morior colliquefacta rogo,
Lacryma succenso quod manat odora metallo;
Unicus est nostri fons, & origo mali.
Flectuntur rigidi, lacrymis manantibus, hostes:
Asperat hostiles lacryma nostra manus.
Quæ reliquis prodest,uni mihi lacryma damno est.
Fortunata nimis, ni lacrymarer eram.
Indulgere meo videor male-sana dolori,
Dum mihi, (quis possit credere? fletus obest.
Sæpe quidem lacrymarum imbres ego sistere luctor
Sed nimius prohibet sistere posse dolor.
Mutarunt elementa suum confusa tenorem;

Nec Natura ſtatas ſervat, ut ante vices.
Namque coërcebat flammas contrarius humor,
At modó nil humor quo timeatur, habet,
Lacryma ſuppoſitis eſt mutua cauſa favillis;
Mutuàque eſt lacrymis cauſa, favilla meis.
At mihi quod gravius, fatòque dolentius ipſo eſt.
Noſtra ſalutifero vindice facta carent.
In mediis licet expirem miſeranda favillis,
Nullus qui miſeram vindicet, ultor adeſt.
Andromede monſtris flebat devota marinis,
Illa tuam, Perſeu! libera ſenſit opem.
Stabat ſacrificas mactanda mycenis ad aras:
Grata puella, Deâ ſoſpite ſoſpes abit.
Nullus Abantiades vectus talaribus alis,
Fertur in auxilium nulla Diana meum.
Nulla hominum experior tutamina,nulla Dearum?
Ridet & in noſtris terra, poluſque malis.
Vos ſaltem infenſum, ſtimulis pungentibus hoſtem
Invaſiſſe, piæ, debueratis, apes.
Nos inter, ſociaſque roſas concordia cedit,
Eſt & amicitiæ fœdere junctus amor,
Cum matutini pretioſa liquamina roris
Defluerent foliis excipienda meis,
Vos ego nectareo cœli ſudore beabam,
Et pleno illecebras ætheris ore dabam,
Ah quotíes primo mihi blanda tuliſtis Eôo
Oſcula roriferis uvida facta labris?
Quid,quod & ambroſias armant ſua ſpicula matres
Armat Acidalias ut ſua ſpina roſas.
Et vos hortus alit, riguis ego naſcor in hortis
Noſque ligat ſocio patria terra ſolo.
Cum mihi tot titulis, tanto ſocietur amore,
Cur apis oratam ferre recuſat opem? (arcu,
Tu quoque amor pharetrâ teliſque inſtructus &
Debueras teneris ultor adeſſe roſis.
Omnia cum ſimilis tibi ſim, vultumq; comamque
(Nam roſa ſi neſcis, eſt tua penè ſoror)

Te decuit nostris facilem succurrere rebus;
Et pia pro gemina bella movere rosâ.
Aurea cæsaries (humeri crinale flagellum)
In collo tutilat luxuriosa tuo.
Non ego dissimils, rutilo nam concolor auro
Luteus in nostro vertice flavet apex.
Æmula sunt geminis tibi labra corallina fragis,
Inque meis vivunt rubra coralla labris.
Splendida nativo facies tibi pingitur ostro;
Et mea nativus vestiit ora rubor,
Fervida tædiferam clarat tibi flammula dextram,
Puniceæ rutilat par quoque flamma rosæ.
Usque tibi puero viret inconsumta juventus;
Mors pariter præcox me vetat esse senem.
Te per ego faculas, per ego, germane, sagittas,
Oro, puer; miseris auxiliare rosis.
Tende arcum, jaculare faces: insume pharetras,
Nam tua cur nostro cessat in hoste manus,
Si tibi quæ jacias, ex haustâ picula dextrâ
Defuerint, spinis urere, Dive meis.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo epistolæ Jacobi cap. 4. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens: Et deinceps exterminabitur.

Punicei quicumque vides lacrymabile bustum
Floris, ab inspecto lumina flecte typo,
Lusit adhuc mea Musa rudem modulata figuram,
Dum cecinit mœstæ tristitia fata rosæ.
Non sola assiduos rosa distillatur in imbres,
Nec sibi de propriis sola parentat aquis.
Nostra per innumeros exercita vita dolores,
Instar habet Cypriæ, dum flet adusta, rosæ.
Flebilis aërias sensim tabescit in auras,

Ut pereunt parvâ fumus, & umbra morâ.
Si mentem excipias, quid enim post funera restat
Ossa, cinis, tumulus; nomen inane, nihil.
Quæque capit cineres & corporis ossa superstes,
Vix gravat infirmam fictilis urna manum,
Hesperiis cum Phœbus equos immersit in undis,
Rursus ab Eôis pulchrior exit aquis.
At numquam ad superos innabilis unda remittet,
Quos semel infernâ navitâ vexit aquâ.
Cum sylvæ Borealis, hiems decussit honorem
Vere, novis iterum frondet amicta comis.
Et sua crescentes reparant dispendia Lunæ:
Et sua graminibus læta juventa redit.
At nobis, nec veris honos, nec prima juventus,
Nec rapta immiti funere vita redit.
Denique ne multa verborum ambage moremur,
Est parens modico tempore, vita, vapor

VOLUPTAS APICULÆ SIMILIS

LUDUS ALLEGORICUS.

ELEGIA OCTAVA.

SEDULUS expressum relinens apiarius alveum.
Promebat gravidis mella liquata favis:
Præque manu fumos, & acerbos tendit odores,
Ore fovens tepidam, quam priùs hausit aquam,
Nequicquam glomerantur apes, & inania frustra.
Denso præcipites agmine tecta petunt.

Diſeptoſque ſibi forulos, populatàque paſſim,
Quæ tanto intulerant mella labore, vident.
At pater exemto vacuat dum nectare cellas,
Et profugas arcet, ne jaculentur, apes:
Divitias Paphii roſeo puer ore roſeti
Carpebat pulchris pulchrior ipſe roſis.
Quà Zephyri ludentis amor, florùmque juventus,
Dulce verecundis ridet hiulca labris:
Quâque corona decens, veriſq; venuſtula proles
Explicat ornatus ambitioſa ſuos.
Lilio, narciſſos, caſiam, vaccinia, calthas,
Ingenuus legulo ſubſecat ungue puer.
At poſtquam toto ſatis eſt ſibi viſus in horto;
Floriferi meſſes depopulatus agri:
Ambroſiâ puer ambroſius cervice renidens
Geſtat odoriferâ plena caniſtra manu.
Aſtitit annoſo ſoboles dilecta parenti,
Et totas veris monſtrat ovantis opes.
Cui pater, eſt noſtræ flos umbra ſimillima vitæ;
Intereunt uno vitáque flóſque modo.
Tractabat ceram interea, nectàrque puellus,
Neſcius articulis hæc nocitura ſuis.
Mox jacula biliam nimbos ſpargebat odorum;
Picta relabenti flore rubebat humus.
Quin etiam audaci penetrans alvearia dextrâ;
Eruit ambroſias, mellea, mulſa, dapes.
Clàmque ſuo furtim melimela fluentia patre
Lambendo cupidus ſurpuit ungue puer.
Surpuit, & dixit, dum raptim mel ingerit ori;
Dulcoris quantum guttula mellis habet!
Cecropiæ accurrunt, irata examina, matres;
Et juvenem toto circumiere globo.
Fit ſonitus, reſidéſque animos ad bella laceſſit
Clangorem querulæ vox imitata tubæ.
Præ reliquis ſalit una magis turbata maniplis,
Et pueri tremulo perſtrepit ora ſono.
Nempe perire ſuos apis indignata labores,

Bombilat, & raucas jactat ab ore minas.
Illa ruit teneris plagam illatura labellis,
At puer opposita protegit ora manu.
Et formidatum procul arcet, & ejicit hostem,
Et jubet aligeram longiús ire feram.
Illacrymat (teneræ lacrymæ sunt arma juventæ)
Et mihi fer properam, fer, pater, inquit, opem:
At pater intentus curis gravioribus audit,
Nec curat pueri verba, precésque sui.
Interea querulo minitata milissa susurro,
Vindice furacem sauciat ore manum.
Et stimulum, & vitam simul uno vulnere ponit,
Nempe fuit, post hæc vulnera, digna mori.
Ingemuit tristis puer, injussæque tenellis
Protinus ex oculis exiluistis aquæ.
Ter læsus vocem attollit, ter vulnus inhalat,
Supplosam tenero ter pede pulsat humum.
Ter plagam injectâ tentat lenire salivâ,
Absentem querulo ter vocat ore patrem.
Vox pueri patrias subiit penetrabilis aures,
Protinus inceptum dextra reliquit opus.
Accurrit natíque sonos, lacrymasque misertus,
Quæ lacrymas, inquit, causa sonosque ciet?
At puer inflatam patri dans cernere dextram,
Hoc mihi vulnus, ait, parvula fecit apis.
Guttula dum fluidi mihi tingeret oscula mellis,
Insidiante meam vulnerat ore manum.
Cui pater, hinc castos, si quid sapis, instrue mores,
Mella voluptatis spernere, disce, puer.
Gaudia venturi sunt nuntia sæpe doloris,
Et lacrymas risus non procul esse docet.
Plus apibus, tibi plaga mali vitetur amoris,
Qui cor, nescio quâ cuspide, sæpe ferit.
Mella voluptatis pereunt, mellisque voluptas:
Et quod melle placet, fellis acore madet.
Parva apis est, & parvus amor; sed uterque pusillo
Quam libet exiliat corpore, tristè ferit.

Gignit apis magnum, quamvis non magna, dolorem
Et venit à minimo magnus amore dolor.
Dum monet hæc genitor, medico demulcet olivo.
Quæ fuerat duro vulnere læsa, manum.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo 1. Regum, cap. 43. Gustans gustavi paululum Mellis, & ecce morior.

TE quoque si nescis, liber hic, ignara juventus,
Ut Veneris fugias blanda pericla, monet.
Ne labor in sterili noster delusas arenâ
Nil profecturis jugera bobus aret:
Collige, quos isto poteris tibi carmine fructus
Carpere, ne monitis, prorsus inanis eas.
Sunt rebus miscenda inter joca parva severis,
Et madidi nullo fellis acore sales.
Mellitas imitatur apes fugitiva voluptas,
Et plagæ, & similes sunt utriusque viæ.
Utràque pennata est, & habet, quibus evolet, alas;
Utraque, quod possit figere, vulnus habet.
Nam postquam dedit Hyblæos apis æmula rores,
Vulnerat, & volucri mox abit acta fugâ.
Sic ubi pars apibus fudit sua dona voluptas,
Avolat, & morsu corda tenace ferit.
Ne tamen id sileam, quod ego te malo doceri,
Unica res ambas non sinit esse pares.
Est levium leve vulnus apum, sed amara voluptas
Dulcia lethifero gaudia felle linit.





NARCISSUS

SUI AMANS

LUSUS ALLEGORICUS


ELEGIA NONA.

Si fati tibi forte mei nescitur origo,
  Hæc te, quo cecidi funere, charta docet.
Jam medium provectus erat super æthera Titan;
  Et nemus, & pluviis hortus egebat aquis.
Insectatus ego leporis vestigia, sterno
  Membra salebrosæ fracta labore viæ.
Hîc ubi, perspicuas volvens sine sordibus undas;
  Serpebat tacitâ rivus amœnus aquâ.
Pulvillum dedir herba mihi;dedit æsculus umbram,
  Fons speculum; volucres carmina; ripa torum.
Nec deerat, nimios quæ pelleret aura calores,
  Nec deerat viridi reptile gramen humo.
Scrupulus in nitida lucet numerabilis undâ;
  Garrulaque irriguis obstrepit Atthis aquis.
Vix ego frigidulæ requieram in margine ripæ;
  Mersurus gelido flammea labra lacu.
Vix me nexilibus ramorum amplexibus arbos
  Texerat umbrarum luxuriosa parens:
Ecce, repercussos parit unda puerpera vultus;
  Blanditurque oculis æmula forma meis.
Qualis ab adverso speculi solet orbe remitti,
  Talis in illimi fonte figura natat.
Lætatur, dum lætor ego; dum lugeo, lugèt;
  Dúmque loquor,loquitur; dumque silesco silet.
Oscula libanti libat, dat brachia danti.

Me

Me fugiente fugit; me redeunte redit.
Incalui visæ correptus imagine formæ;
Quis flammam in gelidis esse putaret aquis?
Maceror infelix, proprioque accendor amore,
Et patior manibus spicula jacta meis.
Emorior, satíque mei male cognitus autor,
Ille ego, quo totus torreor, ignis eram.
Qualiter immodicos dum Sirius excitat æstus,
In mediis marcet flosculus ustus agris,
Non aliter facies solito mihi tristior horret,
Alba genis, oculis lurida, sicca labris.
Ergo metens virides inamabilis Atropos annos,
Præsecuit vitæ stamina prima meæ.
Naïades exequias, lessum miserabilis Echo,
Ripa mihi tumulum præbuit, unda necem.
Nec campus teneris rubuit, velut ante, rosetis.
Nec Zephirus crispis risit, ut ante, labris.
Flevêre intonsi montes, flevêre Napææ,
Depositis flevit proxima sylva comis.
Fons quoq; dum fleret,prope fractâ turbidus urnâ;
Dicitur à lacrymis intumuisse suis.
Flevêre Oreades, Dryades flevêre puellæ,
Nymphàque, quæ truncos reddit avara sonos.
Et lacrymis tumulum, & plenis sparsêre canistris,
Rore cadente oculis, flore cadente manu.
Jure rosas, comites, & lilia spargitis, inquit
Una Dryas, flos, dum viveret, ille fuit.
Vidit, & imparibus carmen modulatus avenis,
Hos cecinit Daphnis, me moriente, sonos.
Cui, Narcisse, tuum dabitur cognoscere fatum,
Hic tibi ploratas, Bellule, fundet aquas.
Dum fugis exosos Nymphæ vocalis amores:
Et Phœbem turpi Cypride pluris amas:
Dumque times,levibus ne post data vulnera damis;
A Puero pariter vulnus Amore feras:
Ah luis immeritam quamvis sine crimine, pœnam,
Digna pudicitiæ non fuit illa tuæ.

Umbra tui vanâ te lusit imagine vultûs,
Et speciem veri corporis unda dedit.
Aspicis, aspiceris idem, cuperísque, cupísque:
Téque ipsum redamas unus, & unus amas.
Miraris, loqueris, rides, blandiris, inardes:
Et fingis, quod amor fingere cumque solet.
Sed postquam optató prohiberis amante potiri,
Cerneris ipse tui captus amore mori.
Ecquis iò sylvæ (nam vos meminisse potestis)
Ecquis amatorem duriùs ussit amor? [gittæ
Jam pharetræ sine honore jacent, sine honore sa-
Quas puer hirsutis fixerat ante feris.
Vidimus in tenebris amites, inhonoràque lina:
Sparsàque fortuito tela jacere loco.
Ite leves damæ, sylvisque impunè, volucres.:
Nullus, qui vobis insidietur, erit.
Nam puer alituum quondam certissima strages,
Jam sua in Elysiis retia tendet agris.
Et mutas volucres, quas fixerit ales arundo,
Offeret infernæ, præmia grata, Deæ.
Nam tibi dent Nymphæ fatis melioribus uti,
Quàm si erres Stygiis intumulatus aquis.
Hæc cecinit, dum ducit oves ad ovilia Daphnis,
Et nectit dominæ serta ferenda suæ.
At superos tetigit nostræ inclementia sortis:
Quippe dedêre alios posse videre dies.
Ne totus morerer, fierémque in morte superstes,
Narcissus liquidis exiit alter aquis.
Nam novus in gelidæ flos margine nascitur undæ:
Qui sibi de nostro nomine nomen habet.
Et sic illæ meæ fuerat qui mortis origo:
Sit pariter vitæ rivus origo meæ.





APODOSIS ALLEGORIÆ

Ex illo Proverb. 3 2. Fallax Gratia, & vana Pulchritudo.

QUisquis is es, qui ſæpe ſoles, vernante juventa
  De facie ſpeculum conſuluiſſe tuum;
Ah nimium fluxæ, nimium ne crede figuræ!
  Gratia purpureis excidet iſta genis.
Et decor hic vacuas evanidus ibit in auras:
  Nam quævis ſpolium corporis hora rapit.
Sit decoris tibi major amor, quàm cura decoris;
  Et cultum ingenii corpore pluris habe.
Quam citó deperdit primo ſpoliata vitore
  Spina roſas, umbram populûs, uva comas:
Tam citó deperdit ſpecioſum vultus honorem;
  Horaque deterior prætereunte ſubit.
Sic ubi purpureis riſere papavera labris,
  Et pinxit varium Dædala Flora ſolum:
Fervidus æſtatis tantum decus excoquit ardor;
  Solſtitio medii dum caluêre dies.
Res eſt, forma, fugax: vanòque ſimillima flori:
  Qui caput è mediis ſurrigit ortus agris.
Naſcentem parit una dies, rapit una cadentem:
  Hunc niſi vel medio Sole procella metat.
Vidimus heſterna florere roſaria luce:
  Exhibuit nullam lux hodierna roſam.
Nulla refloreſcit, roſa ſi defloruit, unquam:
  Nec redit; ut ſemel eſt viſus abire decor.
Reſtituent nulli, qui fulſit in ore decorem:
  Reſtituent nulli tempora lapſa dies.
Cognoſci ſibi quemque jubet conſultus Apollo:
  Nam nimium, qui ſe non bene novit, amat
En modó, pellicibus dum ſe ſpeculatur in undis
  Narciſſus, medias tabuit inter aquas.
Heu puer infelix! ſimulachra fugacia captans.

Credideras corpus esse, quod umbra fuit.
Non unus Narcissus aquis lenonibus ardet,
Sunt alii, proprius quos malè ludit amor.
Qui legis hæc, nostrisq; breves das lusibus horas,
Plus æquo placeas ne tibi fortè, cave.
Nam malè conspectæ deceptus imagine formæ,
Tu quoque Narcissus, ni sapis, alter eris.



APIS RETIBUS EXPEDITA.

LUDUS ALLEGORICUS.

ELEGIA DECIMA.

SEDOLUS explicitos glomerabat araneus orbes;
Et leve sub querno stipite nebat opus:
Nimirum hæc miseris pandit retinacula muscis,
Et tacitâ prædas aucupis arce capit.
Dum vigiles agit excubias, & arce tuetur,
Præda per aëriam si sit itura viam:
Fortè sequi socias apis aspernata sorores;
Incidit in fragiles, textile rete, dolos.
Irruit ut sensit, laqueóque tenace vagantem
Protinus impediit perfidus hostis apem.
Talis erat (si fas pumilum conferre Giganti)
Cum vafer Alcidæ robore Cacus obit.
Talis & Antœus, dum matris ab ubere raptus,
Prægrave compressis faucibus hæsit onus.
Fluctatur apis frustra, frustra evibrat alas,

Et frustra oratam vindicis urget opem.
Bombilat, & tenui mussans sic voce fritinnit,
Exiguos linguâ penè loquente sonos:
Non tua me virtus, non me mea crimina perdunt,
Me miseram casus, non mea culpa facit.
Mellifico, fati ignorans, operata labori,
Deserto in pedicas agmine lapsa ruo.
Non tibi magnificus, teneram captasse triumphus,
Quæ levis, amisso rege, vagatur, apem.
Credulitas fuit illo tuo dignanda favore,
Laus servata tuum mortua crimen ero.
Aut hoc, aut simili gemuit sua fata dolore,
Nilque quod ulterius perdita possit, habet.
Ille novi gaudens tumefactus honore trophæi,
Mancipii votum ridet inane sui.
Dumque bibax placitum parat epotare cruorem,
Ut sitiens plenâ fugit hirudo gulâ:
Villicus emissum alveolis ut cogeret agmen,
Quassabat validâ tinnulus æra manu.
Conspicit, & dixit, quæ te fata impia tangunt?
Certè aliam, digna es, quæ patiare necem.
I levis, instauràque tuos, liberta, labores,
Et repete antiquos, dulcis alumna, focos.
Tityrus hæc [quis enim labor est ita cre dere]dixit,
Dixit, & illæsam liberat ultor apem.
At subiit meritas crudelis aranea pœnas,
Passa gravem, duro sub pede trita, necem.
Jure quidem,nam mortis erat quæ præcocis autor,
Illa etiam meruit præcoce morte mori.



APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo Psalmi 36. Vidi impium superexaltatum sicut cedros libani; & transivi, & ecce non erat.

MAgnificâ quicumque tumens versaris in aulâ.
Stent,tua quam fragili,disce, trophæa loco
Nos sæpe à minime fas est animante doceri,
Nos parva officii reculta sæpe monet.
Sic Francisce, aliâs frater te dicitur agnus,
Téque cicada, alias erudiisse soror.
Ah quoties dixti; dum balat amabilis agnus,
Stridulaque argutâ voce cicada canit!
Lucet in exiguis divina potentia rebus:
Major & in minimis cernitur esse Deus.
Nos & araneolus, nos & vaga turba, melissæ
Admonitu poterunt instituisse suo.
Exultabat ovans, miseramque ferociter angens
Ah malè torquebat bellua putris apem.
Sed subitó versa fata in contraria sorte,
Quæ fuerat victrix, hæc quoque victa fuit.
Tu quoque qui dominas rerum moderaris habænas
Ni sapis, instabiles experiêre vices.
Nam tua dum tumido ventosa superbia fastu
Surgit, ut in Solymis cedrus odora jugis;
Et nullâ te posse quati vertigine credis,
Vel brevis in versâ merserit hora rotâ.
Necte triumphali victricia tempora lauro,
Laurigerum feriet fulmine Parca caput.
Erige structilibus laquearia fulta columnis,
Mors rapiet validâ te tamen inde manu.
Te cingánt clypeatæ acies, cuneataque castra,
Atropos arreptâ falce tot arma metet.
Denique quidquid opum, quidquid resplendet honorum.

Proteret indomito mors inopina pede.
His igitur confide bonis, quæ lubrica cæcæ
Nulla volubilitas datque rapitque Deæ.

LUSUS POETICI ALLEGORICI

LIBER TERTIUS.

ROSÆ ET VIOLÆ CERTAMEN DE FLORUM IMPERIO.

LUDUS ALLEGORICUS.

ELEGIA PRIMA.

FAGINEA nuper recubabam lentus in umbrâ,
Stravit ubi facilem cespitis herba torum:
Hortus odoriferis suberat prope consitus herbis;
Quem riguâ saliens rivus alebat aquâ.
Pinxerat innumeros ibi Chloris Dædala flores,
Atque omnis circum copia naris erat.
Incertum an vigilans, an amico callidus astu
Presserat obrepens lumina nostra sopor.
Excepi gemini certamen amabile floris,
Nam rosa se violæ prætulit, illa rosæ.
Flos igitur levium dulci modulamine vocum,
Colloquij alternas miscet uterque vices.
Primaque diductum pandens rubicundula labrum

Hos dare, vel ſimiles eſt roſa viſa ſonos.

ROSA.

Punicei Regina decens, & gloria campi,
Tollo coronatas imperioſa comas.

VIOLA.

At viola hic retulit, juſtum mihi provida ceſſit
Imperium in flores Flora tenere ſuos.

ROSA.

Nil in te, nil juris ineſt; ſe turba minorum
Arbitrio florum ſuppoſuêre meo.

VIOLA.

Non tibi ver ſubjecit amor; ſed iniqua Tyrannis;
Aſt ego legitimo regno recepta throno.

ROSA.

Illo me Maii ſoboles dignatur honore,
Cur decus affectas ambitioſa meum?

VIOLA.

Non roſa, at in famulos regnant violaria flores:
Unica regnantes non capit aula duos.

ROSA.

Inclyta nobilium decorant me ſymbola regum:
Stemma, genus, ſolium, purpura miles, odor.

VIOLA.

Sed tamen iſta tui non cerno inſignia regni:
Ambit inornatum nulla corona caput.

ROSA.

Nulla meam redimire putes ne ſtemmata frontem;
Aureus è noſtro vertice ſurgit apex.

VIOLA.

Regia veſtis ubi eſt, ubinam regalis amictus?
Quæque ſolet claros cingere pompa duces?

ROSA.

Nobilis auguſto me veſtis amiciit oſtro:
Nempe eſt conveniens regibus ille color.

VIOLA.

Cincta ſatellitio procedit fœmina princeps:
Nulla tuum ſtipant militis arma latus.

ROSA.

Reginam densis vallat seges horrida telis,
Vepribus incingor sic ego tuta meis.

VIOLA.

Stat custos mihi solus amor, blandusque satelles:
Hastatis tueor non ego sceptra rubis.

ROSA.

Solis ego soboles, reliquis hic ut imperat astris,
Sic decet imperio serta subesse meo.

VIOLA.

Filia sum Floræ; ridentis ocellus Amoris;
Sydus agri; veris nuntia: gemma soli.

ROSA.

Chloridos ornatus, rurisque decora venusta
Nos sumus, & Cypriæ sedula cura Deæ.

VIOLA.

Pratorum juvenile decus, Ludusque jocantis
Sum Zephiri, & picti Veris amœna charis.

ROSA.

Hortorum flammæ insontes, & amabile fulgur
Nos sumus, & verni purpura viva soli.

VIOLA.

Nos alit Ambrosiâ Zephyrus, dapibusq; Deorum,
Et satiat nostram nectaris imbre sitim.

ROSA.

Vincit odoriferas Arabum fragrantia messes,
Quam meus è mediis halitus afflat agris.

VIOLA.

Nec formâ, nec odore minor tibi cedo; mihique
Suavis ab ambrosio spiritus ore fluit.

ROSA.

Est roseis digitis, roseis Aurora capillis:
Dum roseo roseum pandit ab axe diem.

VIOLA.

E violis ligat illa suæ redimicula fronti:
Et violis croceas alligat illa comas.

ROSA.

Libat amabilibus Zephirus mihi basia labris,
Et thalamum sponsæ postulat illa rosæ.

VIOLA.

Turba volatilium te captat anhela procorum:
At violæ florem virginitatis amant.

ROSA.

Me Zephirus cupidis ambivit amasius alis,
Malo tamen casto vivere Nympha toro.

VIOLA.

Dum lasciva tuis furtim daret oscula labris,
Vidi ego te totis erubuisse genis.

ROSA.

Erubui, sine labe tamen virguncula vixi:
Non ego do Zephiro basia, at ille rapit.

VIOLA.

Tincta rubescenti facies tibi purpurat ostro:
Hic solet indicium criminis esse color.

ROSA.

Virgo rosa est, hæc causa subest, cur purpura vivo
Murice virgineas pingat honesta genas.

VIOLA.

Illa pudicitiæ titulos, famamque reliquit,
Quam nemus Idaliæ possidet omne Deæ.

ROSA.

Hanc ego, ne quisquam Paphiæ me dicat amores,
Cuspidibus pupugi sanguinolenta meis.

VIOLA.

Impia cui parces? quem non temeraria lædes?
Ausa & in æthereas bella movere Deas.

ROSA.

Senserat in bellis graviorem cypria plagam,
A Diomedeâ saucia facta manu.

VIOLA.

Culpa minor Tydidis erat, dum læderet hostem:
At tu quo tandem mota dolore furis?

ROSA.

Incidit in noſtros, quos arrigo neſcia, vepres,
Et tenerum implicuit ſentibus icta pedem.

VIOLA.

Debueras hebetaſſe tuos innoxia ſentes;
Ne qua daret Veneri vulnera cuſpis hebes.

ROSA.

Turpis apis; niſi tela gerat: niſi ſpicula miles:
Et roſa, ni poſſit pungere, turpis erit.

VIOLA.

Pacificos non lædit apis, nec miles amicos:
At tu quam jaculo pungis, amica Dea eſt.

ROSA.

Cypris amica nocet, prodeſt inimica: mihique
Poſtmodo, quæ prodeſt hoſtibus, hoſtis erit.

VIOLA.

Tu tamen excepto, quem fuderat illa, cruore,
Flos conſanguineæ diceris eſſe Deæ.

ROSA.

Vulneris illa ſui monumentum triſte reliquit:
Inficiens rubram, quæ fuit alba, roſam.

VIOLA.

Reſtitit illa tuos nota teſtatura reatus,
Non poteras læſâ non rubuiſſe Deâ.

ROSA.

Caſta mihi notat ora pudor: tibi pallida livor
Principibus facies invidioſa roſis.

VIOLA.

Pallida ſum, nihil inficior: ſed pallida mecum
Omnia, & is toto regnat in orbe color.

ROSA.

Criminis eſt index color hic, trepidique nocentis
Buxeus exangui pallor in ore ſedet.

VIOLA.

Gratius argento nihil eſt; nil gratius auro:
Pallidus infuſcat bina metalla color.

ROSA.

Argentum pallet, pallet tibi concolor aurum:
Dum metuunt avidas furis utrumque manus.

VIOLA.

Fulgidius cælis nihil eſt, nil pulchrius aſtris;
Luna tamen pallet, pallet & ipſe polus.

ROSA.

Non pallet, niſi dum pluvios prænuntiat imbres,
Aut ubi cantatis Luna laborat equis.

VIOLA.

Me charites impune metunt; tua ſerta legentem
Hirſutis fodicas hiſpida tota rubis.

ROSA.

Furaces ſi ſpina manus â floribus arcet:
Nil mirum, Dominam protegit illa ſuam.

VIOLA.

Nulla tamen reliquos cingit cuſtodia flores:
Arma quid in mediâ pace cruenta geris.

ROSA.

Tela puer ſua geſtat Amor, ſua geſtat Apollo:
Armor ego Superos ſic imitata Deos.

VIOLA.

At te nec Dryades, nec te Venus aurea tangit:
Ne laniet roſeam vulnus, ut ante, cutem.

ROSA.

Me carpunt Dryades, pictis me carpit in hortis
Immemor antiqui vulneris ipſa Venus.

VIOLA.

Unguibus illa ſuas explens muliebriter iras
Te carpit, ſed me pollice blanda legit.

ROSA.

Pulcher amor Veneris & amor ſum pulcher Amoris,
Cui pharetram foliis mos onerare meis.

VIOLA.

Non onerat foliis, ſed aduncis ſentibus ornat,
Spinaque neglectis carpitur unca roſis.

ROSA.

Non video, cur sola legat vepreta Cupido:
Sentibus utilitas non foret ulla meis.

VIOLA.

Dum puer exhaustis viduavit tela pharetris,
Ingeniosa tuos vertit in arma vepres.

ROSA.

Exermes puer ales amat decerpere flores:
Dum metuit tacto saucius esse rubo.

VIOLA.

Palpat amor mulcetque animos aspergine florum:
Sed spinas levium more relinquit apum.

ROSA.

Et mihi Cecropii cœtus blanditur Hymetti,
Dum fugit teneras in sua mella rosas.

VIOLA.

Non transfert in mella rosas, sed in horrida spinas
Spicula, & arma sibi cudit inermis apis

ROSA.

Te nec apis, nec Amor, nec te Dea quærit Amoris;
Nigror enim refugas territat ille manus:

VIOLA.

Candida quæ fueras; modo sanguine tincta rubes- (cis
Sic ferus occiso miles ab hoste redit.

ROSA.

Dum minio fucata genas sibi Nympha colorat,
Ora gerit paribus vermiculata notis.

VIOLA.

Non amat ascitum, si casta est Virgo, colorem,
Sat rubet, innato si qua pubore rubet.

ROSA.

Pallescunt violæ: mors pallida: pallidus orcus:
Pallet anus: pallent crimina: pallet hyems.

VIOLA.

Præsulibus gestanda datur violacea vestis:.
Infula queis sacras ambit honora comas.

ROSA.

Præsulibus gestanda datur violacea vestis ;
Ausonios decorat purpura nostra Patres.

VIOLA.

Quamvis puniceo rubeas insignis amictum
Ureris occultum jussa piare scelus.

ROSA.

Non aliquod mihi crimen obest, sed avara cupido ;
Quod lacryma ex oculis stillat odora meis.

VIOLA.

Jure tibi lacrymas extorquet, vindice flammâ,
Debita criminibus carnificina tuis.

ROSA.

Uror ut è calido fluat unda rosacea plumbo :
At viola in nullum cernitur apta lucrum.

VIOLA.

Ipsa quoq; innumeros licet unica nascor in usus :
Utilis à medicâ sæpe reperta manu.

ROSA.

Tuta suburbanis florum Dea nascor in hortis :
Nasceris in mediâ, vilis ut herba, viâ.

VIOLA.

Falx mihi nulla comas, mihi brachia nulla recidit,
At tu læsa gravi vulnere sæpe doles.

ROSA.

Villicus occat humum, nimias mihi deputat [umbras :
At modicæ dabitur non tibi sulcus aquæ.

VIOLA.

Ætatem tibi dat lux unica, quique puellam
Manè rosam cernit, vespere cernit anum.

ROSA.

Immortale nihil, nihil omni floret in ævo :
Et quæ nascuntur, cumque jacere timent.

VIOLA.

Una oreris morerisque die, diuturnaque vita
Est violæ : at brevibus vita diurna rosis.

ROSA.

Sic placitum Superis: rarò meliora ſeneſcunt;
In longos ſuperant deteriora dies.

VIOLA.

Elyſiis gemmata micant violaria pratis:
Heſperidumque trium me parit almus ager.

ROSA.

Picta roſis rutilant biferi viridaria Pæſti:
Meque Semiramidos penſilis hortus alit.

VIOLA.

Dulce viatori, gelidâ dum fontis in orâ
Stellatam violis preſſat anhelus humum.

ROSA.

Vos reptatis humi, flores? innobile vulgus:
Tollor honorato conſpicienda throno.

VIOLA.

Tu quoque reptares humilis, niſi ſubdita collo
Longa reclinato pergula ferret opem.

ROSA.

Se melius rhamni platanis, ſe corvus olori
Æquiparet, dominæ quàm tua forma roſæ.

VIOLA.

Sim quamquam tenuis, tamen audaciſſima florum
Nondum hyemis pulſo frigore, promo caput.

ROSA.

Juſtæ molis egens, oculoſque manuſque legentis,
Effugis, ignaro planta terenda pede.

VIOLA.

Corporis exigui mihi forma minutula prodeſt,
Damnaque ſi fuerint repere, damna juvant.

ROSA.

Attamen exiguo minor eſt in corpore virtus:
Fortior eſt gracili pumilione Gigas.

VIOLA.

Aërias vibrata petunt dum fulmina querçus,
Nulla coruſcantis me Jovis ira ferit.

ROSA.

Invida livescis, nostros dum cernis honores;
 Hinc ferrugo tuas inficit atra genas.

VIOLA.

At tu dum calyces oriens diffindis hiulcos
 Si qua fides vero, rumperis invidiâ,

ROSA.

Non equidem invideo, sed honesto tinctilis ostro
 Flosculus è cunis exerit ora suis.

VIOLA.

Ille color casti non est nota certa pudoris,
 Dumque rubes, solo mota furore rubes.

ROSA.

Flos ego virginei vocor intemeratus honoris,
 Et micat intactæ purpura pura rosæ.

VIOLA.

Te nec ego castam, nec te reor esse pudicam,
 Cujus inest scelerum testis in ore rubor.

ROSA.

Vulnus ego spinæ, tu figis acumine linguæ,
 Sed gravior nostris est tua lingua rubis.

VIOLA.

Ecquid amabilius viola? quæ noxia nullo
 Vulnere, quæ nullis sentibus hirta riget.

ROSA.

Dignum innata dedit violæ violentia nomen,
 Nomina pacificæ ros dedit apta rosæ.

VIOLA,

Nominis id violæ est, quod marcescente roseto,
 Floreat in longos inviolata dies.

ROSA.

Imò ego sectilibus caput extricata cucullis.
 Pando verecundum ruris alumna jubar.

VIOLA.

Quám benè folliculi captiva sub ore gemebas,
 Æternos tali carcere digna dies.

ROSA.

ROSA.

Sub calathis de nocte premor, ſed ſolis ad ortum,
Explico diffuſas ebria rore comas.

VIOLA.

Ebria tota mades; mihi ſtillula ſufficit undæ,
Sobrietas foliis convenit illa meis.

ROSA.

Inter ego ſum epulis, lautaſque venuſtula menſas;
Orno coronatos flore tegente ſcyphos.

VIOLA.

Ah quoties calicem meditato ſubdola lapſu
Suxiſti bibulis inſidioſa labris.

ROSA.

Non ego Mæonii calices amo ſobria Bacchi,
Ex quo orior ſatis eſt ille ſuperque calyx.

VIOLA.

Me lactat vitreâ nutrix Aurora pruinâ,
Ut pupam dives nectaris uber alit.

ROSA.

Ipſa quoque & lacrymas, & amati gaudia roris
Ebibo luciferæ dulcis alumna Deæ.

VIOLA.

Biſgenitus te Bacchus amat, te vina colorant,
Delectatque tuam concolor uva ſitim.

ROSA.

Nil mihi cum Baccho, nil cum ſpumantibus uvis;
Et ſatis eſt bibulæ ſorbilis unda roſæ.

VIOLA.

Non adeo rubicunda fores, abſtemia virgo;
Nam color à nimio provenit ille mero.

ROSA.

A nimio color ille mero! nec vindicor ultrix;
Nulla mihi ebrietas prorſus, at ira rubet.

VIOLA.

Eia, quis indomitas tantus dolor excitat iras.
Effera tranquillam non decet ira roſam.

ROSA.

Armatam sentire cupis, vel parce loquelis
  Garrula, vel spinas experiere meas.

VIOLA.

Vicisti, fateor, dirimant si prælia litem,
  Namque armata tibi cuspis; inermis ego.
Jamque moræ impatiens armata satellite dumo;
  Cominus in violam tendere visa rosa est.
Cum placidis volitans per rura Favonius alis,
  Pacificis suadet fœdus inire sonis.
Dumque rosis violas blando spiramine tentat
  Et violis teneras conciliare rosas:
Sistite, formosi, dixit, certamina, flores,
  Arbitrium litis me penes hujus erit.
Et rosa tu digna es; viola es quoque vincere digna:
  Sceptraque sunt violæ debita, sceptra rosæ.
Sed tamen ut reliquis sol lucet amœnius astris,
  Sic rosa præ reliquis floribus una micat.
Motavere caput Zephirique edicta probantes,
  In longum positis fœdus iêre minis.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo primæ Petri c. 1. Omnis Caro est fœnum, & omnis Gloria ejus tanquam flos fœni, exaruit fœnum, & flos ejus decidit.

QUi tantum expectasse putas jocularia florum
  Jurgia, plus aliquid, quod tuearis, (habes.
Aspicis humanæ simulachra fugacia vitæ,
  Exprimit illa tuos, quisquis es, umbra dies.
Quos modo vidisti committere prælia flores,
  Ævi te poterant admonuisse tui.
Flos, & homo sibi sunt similes, succrescit uterq;
  Unius spolium veris uterque viret.

Ut flores ſtimulavit amor ſceptrique cupido ,
Sic homines vani ludit honoris amor.
Morte ſumus, vitâque pares : & mundus & hortus,
Naſcuntur , ſimili depereuntque modo.
Expirat crocei formoſa ſuperbia prati
Et ſiccâ fœnum ſectile languet humo :
Uſque adeo brevis eſt morituris floribus ætas ;
Turbo rapit ; grando verberat : urit hyems.
Nos quoq; rugoſæ carpunt mala damna ſenectæ ,
Æthereum nobis dent licet aſtra genus :
Hoc unum diſcrimen ineſt ; nam ſæpe ſeneſcit
Floſculus , & ruptâ ſæpe reſurgit humo.
Nos ubi triſtis hyems lethali afflaverit aurâ ,
Nulla reverſuri tempora veris erunt.



FORMICA
PROVIDA.
LUDUS ALLEGORICUS.

ELEGIA SECUNDA.

NEc tu indicta meis,Formica,ſilebere plectris
Tu quoque tu luſus inter habenda meos. ,
Ut roſtrata ſolet , mirantibus æquoris undis ,
Per dominas victrix tendere navis aquas :
Dum cava ſubductum retinent navalia lintrem ,
Proximaque extremam cymbula radit humum :
Sic mihi , quem gracili donavit arundine Phœbus,
Non licet inflatâ grandè ſonare tubâ.
Ergo alii Herôum celebrent,Regúmque triumphos,
Et grave Mœonio ſyrmate Martis opus.
Eſt quibus ingenium,quibus altè in carmina vires,
Et quibus aligeri largus it humor equi.

Illa meæ, fateor, vincunt modulamen avenæ;
  Tu formica, meis viribus apta venis.
Te superat levitate lepus, philomela canore;
  Lynx oculis, taurus robore, mole leo.
Tu tamen has, quas terra parit quas educat aër,
  Sedulitate præis, ingenioque feras.
Nec rata sit, quam posco fidem, nisi vera loquendo,
  Grande meis pondus vocibus esse probem.
Dum validi, in numerum, pubes operosa, coloni
  Alternis feriunt grana solumque flagris.
Dum crepitant farra, & crebro sonat area pulsu,
  Dum teritur curva falce resecta Ceres.
Thestylis & paleas vanno sejungit inanes,
  Et medio fruges ventilat usta die.
Tum gelidæ formica timens jeiunia brumæ,
  Nulla per æstatis tempora cessat iners.
Usque catenatis operando laboribus instat.
  Nec vacuam noctem, nec finit ire diem.
Castigat gens nigra moras; certosque penates,
  In quos ferre queat furta dapesque, parat,
Dumque suum molitur opus, nec vomere duro;
  Nec duro bifidi dente ligonis eget.
Sed fabro cavat ore lares, penitusque fodinis
  Egerit ignavam, quæ jacet intus, humum.
Idem omnes simul ardor habet, nec nulla laborat,
  Ut paret exiguam parca colona domum.
Ac veluti jactis dum molibus argua surgunt
  Mœnia, finitimis invidiosa locis:
Instant ardentes operæ, pars ducere muros,
  Altera pars validâ volvere saxa manu.
Substratis ponunt alii fundamina saxis,
  Sortitòque suum quilibet urget opus.
Haud aliter formica suas agit impigra partes;
  Nox ipsa urgetur nocte, dieque dies.
Nam dum Luna suum spectabilis exhibet orbem,
  Nox etiam in partem muneris ipsa venit.
Pars fodiunt: pars tecta locant: pars fossilis agri

Unguiculo hærentes vellit & ore fibras.
cinditur in ternas partita cavernula sedes,
Et ternis apta est usibus una specus.
upremæ pars alta domus, quó rapta feratur
Præda, recondendis cernitur apta cibis.
Visitur in medio minimæ cœnatio gentis,
Hîc ubi turba suas carpit alumna dapes.
Triste sepulchretum datur imo cernere fundo,
Quo defuncta suæ corpora plebis hument.
At postquam vario digesta est ordine sedes,
Et cultu instructa est interiore domus:
Dispositis externa parant munimina vallis,
Ut sit ab insidiis tutus, & hoste locus.
Ne catus irrepat tenues furunculus ædes,
Cingit inaccessam cespitis agger humum.
Utque urbem nullis assultibus imperat hostis,
Aggestâ circum mœnia mole tument.
Si tamen aggeribus munitam irruperit arcem,
Non interceptus Marte, sed arte cadit,
Indeprensus inest, & inobservabilis error,
Quale tuum perhibent, Creta fuisse nemus.
Hîc hæret variâque loci regione retentus
Fur per inexplicitas itque reditque vias.
Errabunda iterum donec vestigia retro
Quâ prius irrupit tristega parte, legat.
Hæc domus, hîc positis habitat formica latebris,
Hæc regit exiguum parva caverna gregem.
At modo sit quantæ formica tenellula mentis,
Mens quoque sit quantæ dexteritatis, habe.
Sicca Cleonêis dum rura vaporibus ardent,
Et riget assiduis solibus usta seges.
Myrmidonum studiosa cohors hypogæa relinquit,
Quæsitura suam plena per arva penum.
At veluti, dum campo agmen procedit aperto,
Primitium sequitur cætera turba ducem:
Non aliter formâ reliquis, & corpore major
Formica, exiguos Dux præit una greges.

Itur in auricomam, prædæ loca commoda, messem
 Jugeraque hospitibus proximiora cavis.
Molle flagellatis ubi fluctuat æquor aristis,
 Et seges in certo stringitur acta Noto,
Quo postquam ventum est,fervet numerosa juven-
 Et sibi partitum dividit agmen opus. [tus;
Quæ reliquas inter præstat virtute sorores,
 Quæque pedum cursu mobiliore valet;
Sectile conscendit gravidæ leve culmen aristæ,
 Triticeasque suo demetit ore dapes.
Quæque minor turbella legat demittit in imam
 Cædua divisi fragmina farris humum.
Parva laboriferis fervet respublica curis;
 Quælibet has partes, quæ sibi dantur, amat.
Pars humeris propellit agens,vel in horrea mordax
 Oris nativâ forcipe grana Vehit·
Hæc recipit venientis onus, tectoque reponit,
 Hæc redit, hæc parvum limen onusta subit.
Hæc rostro, pedibusque rotat cereale legumen,
 Illa suo gravius corpore pondus agit?
Si qua videt pressam sub iniquo fasce sodalem,
 Juncta suæ properat ferre sodalis onus.
In geminas partes moles onerosa secatur,
 Unaque quod nequit ferre, tulêre duæ.
Nulla dies, nox nulla vacat, seu Cynthius astat,
 Cynthiave in longas officiosa vias. [numquam
Dumque nigella cohors it, abitque reciproqua
 Impedit egrediens, ingredientis iter.
Utque vetet parcæ solers industria gentis,
 Ne pereant turpi mucida farra situ:
Pars pluviis excludit iter, pars aggere structo,
 Furtivæ prohibet ne fluat imber aquæ.
Sole novum radiis retegente micantibus orbem,
 Pura repurgato dum nitet axe dies;
E foveis pars haurit aquam, pars vectat in auras
 Pabula quæ penitis immaduere cavis.
Sicca serenatæ flammis melioribus æthræ

Fert alimenta suæ rursus in antra domûs.
Pars memores venturæ hyemis, ne rursus in herbam
Humida succrescant germina, dente premit.
Pars alit invalidas, & inertibus assidet ægris,
Pars tumulat celebri corpora functa rogo.
Exilem cum tanta animet solertia turbam,
Ut miranda oculis visa sit illa meis:
Non ego nobilium spectacula miror equorum:
Non hæc, quæ dorso pondera: Barre geris,
Non ego prægrandes; portenta natantia, cetos,
Quæque fatigatas, bellua, plaudit aquas,
Hæc alii stupeant, ego te, formica, fabrumque
Miror in exiguâ plus ego mole Deum.

EPITAPHIUM FORMICÆ.

FRugiferos formica trahens frumenta per agros
Pressa sub injusto fasce misella cadit.
Hanc postquam reliquæ comploravêre sorores:
Reliquias tumulo composuêre suo.
Vidit, & arreptâ miseratus arundine vates
Scripsit in arboreo carmina pauca libro.
Hic jacet illiceâ tenuis formica sub umbrâ,
Cui sua maturat fata laboris amor.
Ferret ut in fausti pretium non vile laboris,
Debita nobilior vitaque morsque fuit.
Vivere Myrmidonas formicula debuit inter,
Myrmidonas inter debuit illa mori.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo Proverb. cap. 6. Piger vade ad formicam & considera vias ejus, &c.

ERudit incautam formica magistra juventam;
Ne sinat ignavos currere lenta dies.
Sollicito populosa vacat turbella labori,

Providaque annonæ consulit ante suæ.
Interea raucis resonant arbusta cicadis,
Et strepit assiduis stridula sylva sonis.
Ast ubi nimbosæ furit inclementia brumæ,
Arvaque sunt tacitæ vellere tecta nivis.
Perfruitur dapibus prudens formica repostis,
Dum perit ignava muta cicada fame.
Hinc, precor, incautos monitis sapientibus annos
Instrue, consiliis usa juventa meis.
Ecquis enim prohibet rebus miscere jocosis
Seria, sint animi quæ documenta tui?
Canities dum tristis abest, sterilisque senectus,
Nulla tibi currat non operosa dies.
Jam vultum innumeris rugosus arabere sulcis,
Factus olor subito, qui modo corvus eras.
Nuper ego vidi juvenem, qui, præpete cursu,
Præcipites flebat præteriisse dies.
Sed frustra,neq;enim lachrimis revocabile tempus;
Quod semel elapsæ labitur instar aquæ.
Ergo age, chare Puer,longis modo conserer ulcis,
Quæ valeant plenâ postmodo falce meti.
Divitias locuplete senex sibi servat in arcâ,
Quas juvenis largà spargit ubique manu.
Mutet uterq; vices posthac seniorque, puerque;
Divitias, senior, divide, conde, puer.
Nam nisi condideris,reliquum quod prosit in ævum
Curvus egestatis mole premere senex.



APICULA



APICULA
IN FLOREM MELIPHYLUM
VERSA.
LUDUS ALLEGORICUS.
ELEGIA TERTIA.

STRIDULA dum tremulis apis emicat undique pennis,
  Purpureasque rapit, quas parit hortus, opes.
Et modò transilit huc, modo transilit ocyor illuc:
  Nec remanet certo mobilis hospes agro.
Fortè colorato Chloris spatiatur in horto,
  Dædaleâ texens florida serta manu.
Circumstant sociæ, sylvestria numina, Nymphæ,
  Et capiti nectunt stemmata quæque suo.
Dumque rubrum niveo Dea carperet ungue rosetum
  Fortè lacessitam nescia pressit apem.
Læsa volans, querulum roncho testata dolorem,
  Stringit in incautam protinus arma Deam.
Heu quid agis? magno ista tibi violentia stabit;
  Quam terebres, nescis, parva melissa, cutem.
Sed jam vulnus apis, spreto monitore, reliquit,
  Incautam punctu cuspidis ulta Deam.
Ut tactam tenui se Chloris acumine sensit,
  Ut vidit roseas intumuisse manus.
Protinus ingemuit (neque enim cælestia tingi
  Turpiter indignis fletibus ora decet.)
Ingemuit, comitesque simul gemuêre puellæ,
  Et medicæ properant ferre levamen opis.
At postquam se, quantus erat, dolor ille remisit;
  Non tamen offensæ concidit ira Deæ.

Vertitur ad socias, & humi vestigia pressans,
 His commota minax asperat ora sonis.
Siccine turba meos compensat Hymettia flores?
 Munus enim, quod mel conficit illa, meum est.
Conjuge ego Zephyro, Zephyrus me conjuge gaudet,
 Purpureique sumus Veris uterque parens.
Et quascunque suos vertunt solerter in usus,
 Has apibus noster sufficit hortus opes.
Me tamen una suis hostiliter impetit armis,
 Lædere munificam mordicus ausa manum.
Ausa est tale nihil, fucos dum sævit in hostes,
 Et gravius sentit vulnus amica manus.
Hasne mihi grates, hunc fertilitatis honorem,
 Hosne mihi fructus officiosa refert?
Non impune feret tantos male grata furores,
 Sævitiæ pœnas mox luitura suæ.
Hæreat hîc, veteremque novâ mutata figuram,
 Spicula, quæ possit figere nulla gerat,
Inque meliphylli germen modo transeat ales,
 Quæ fingendi opifex sedula mellis erat.
Et ne quando mei pereant monumenta doloris,
 Nomen adhuc teneat versa melissa suum.
Finierat nec cassa minas jactavit inanes,
 Sed sequitur vocis pondera pœna comes.
Cernitur in teretem volucris gracilescere culmum,
 Cernitur in viridem flavus abire color.
Pro pedibus se sensit apis radice teneri,
 Nec jaculum, quo se jam tueatur, habet.
Iret in aërias, velut ante, volatilis auras:
 Sed folium facta est, quæ prius ala fuit.
Mussabat dolitura suæ dispendia formæ,
 At siluit medio muta repente sono.
Servat adhuc veteris simulachra impressa figuræ
 Flosculus, & prima est penè superstes apis.
Rursum eat, & virides jam nunc quoque ventilet alas
 Impediant dominæ ni rata jussa Deæ.

APODOSIS ALLEGORIÆ

Ex illo Proverb. 14. Risus dolore miscebitur; & extrema gaudii luctus occupat.

Pierios documenta inter dare seria lusus,
  Ut rudibus pueris prosit, Apollo docet.
Flora coronandis legeret dum serta capillis,
  Indoluit molles duriter icta manus.
Nam libans crocei succos apis Attica floris,
  Ausa est nativâ pungere numen acu.
Ne qua putes hîc esse suo sine gaudia felle,
  Armat in offensas spina, tegitque rosas.
Vipera sub niveis latet atra subinde ligustris:
  Læsâque si florem dextera carpat, erit.
Sic periit tacito Regina admorsa colubro,
  Clara per Ausonias pompa futura vias.
Ergo gravem tu quisquis amas fugisse dolorem,
  Gaudia & alterno mista dolore fuge.
In numerum sibi succedunt dolor atque voluptas,
  Sed solitus longe longior esse dolor.
Longùm spina riget, fugitivaque gaudia currunt,
  Nimirum flores gaudia, spina dolor.



PULICIS FUNUS.

LUDUS ALLEGORICUS

ELEGIA QUARTA.

Siste gradum, qui præter abis hæc busta, Viator,
  Et lege quæ vatis metra jocantis habes.
Hæc tegit exanimes brevis urnula pulicis artus,
  Parva quidem, Domino, sed tamen aptâ suo.

Corporis exuviæ loculo tumulantur in isto,
  Nam levis Elysias incolit umbra domos.
Dotibus ingenii nusquam præstantior alter
  Ad Stygias pulex iverat ullus aquas.
Nullus erat, qui se erigeret leviore petauro,
  Nullus, qui saltu mobiliore foret.
Non ita, Mæonio multum celebratus Homero,
  Æacides agili corpuit arva fugâ.
Non ita dum fatuæ præbet spectacula turbæ,
  Schænobates tenso membra rudente vibrat.
Parca Gigantæos Natura negaverat artus,
  At quantum in nano corpore mentis erat!
Quid tamen ille lepos, quid inutile mentis acumen
  Profuit, aut vegetæ mobilitatis amor?
Non minus infernis bellatulus occubat umbris,
  Transmissâ, tenui lintre, Charontis aquâ.
Si breve contracti tempus numeraveris ævi,
  Ante suum, dices, oppetiisse diem.
Bis novus exoritur, bis mergitur æquore Titan:
  Hæc fuit exiguæ vita peracta feræ.
Summis stare diu fati vetat invidus ordo;
  Et Lachesis, quæ sunt optima, prima rapit.
Sic superest victura novem cornicula sæclis;
  Exiguas numerat vix philomela moras,
Exuit annosam coluber cum pelle senectam.
  Dura breves homini fata dedêre dies.
Imbellem minuit Tithonum longa senectus,
  Abstulit Æmonium mors violenta Ducem.
Vidit iners Drances animosi funera Turni,
  Occidit ignavum Troilus ante parin.
Urticis longa est, & aduncis sentibus ætas;
  At rosa vix nata est, cum rosa nata perit.
En modo, reptilium bellissima portio, pulex
  Præfestinata clade misellus obit.
Nil, vel in exiguas cautum est animantibus horas,
  Quas rapit in mediis mors inopina jocis.
Dum pedibus plaudit choreas, & in aëra pulex

Tripudiante ſuum poplite corpus agit:
Heu ſuper impoſito contuſus atrociter ungui,
Senſit inhumanas in ſua fata manus.
Dextera crudelis! quid in uno pulice ſævis?
An domat Herculeus talia monſtra labor?
Si belli te tanta tenet, cædiſque cupido,
Materies titulis altera danda tuis.
Scilicet eximios referes hoc hoſte triumphos,
Et clarus domito Pulice victor eris.

PULICIS EXEQUIÆ.

FIniit anguſtum Pulex ubi bellulus ævum,
Pars reliquas inter non inhonora feras:
Adfuit omne genus pecudum, genus omne ferarum
Quodcunque in pumilo corpore repit humi.
Feſtinavit apis, feſtinavêre locuſtæ
Exequias ſocio concelebrare ſuo.
Cantharis attelabus, mordella, pyrallis, aſilus,
Bruchus, & in mediis nata pyrauſta focis.
Funeris exequiæ certam indicuntur in horam,
Finitimaſque ciet garrula fama tribus.
Undique conveniunt, vel quos vicinia junxit,
Vel quos antiquo fœdere junxit amor.
Huc fratres venêre, piæ venêre ſorores,
Nubilis huc venit filia, venit avus.
Huc neptes venêre, pii venêre nepotes,
Et conſanguineo turba propinqua gradu,
Mœrorem locus omnis habet; gemit angulus omnis,
Omnia ſollicito plena dolore ſonant.
Si liceat minimis componere maxima rebus,
Hi gemitus, Hector dum traheretur, erant.
Sic flebas, Caſſandra ſoror, ſic Troïle frater,
Sic flebas, ſocio Polydamante parens.
Mox ubi jam lacrymæ, jam ceſſavêre querelæ,
Dictaque ducendi funeris hora fuit.
Formicæ modico quatuor ſubiêre feretro,

Sandapilamque humeris subſtinuêre ſuis.
Jure quidem, nam Myrmidonas tegit ater amictus,
Nimirum inferiis convenit ille color.
Atque ut ponderibus nata eſt formica ferendis,
Subdita luctificum ſponte vehebat onus.
Longulus atrati ſpatiatur funeris ordo,
Itque ſuo juſſus quilibet ire loco.
Proxima ſublimem ſequitur cognatio cippum:
Pulla habitu, gradiens ordine, lenta gradu.
Mœſta ſepulchrales apis edere juſſa ſuſurros,
Bombilat in totâ præfica facta viâ.
Proſequitur comes exequias, ne ſcilicet abſens
Deforet officio ſtridula muſca ſuo.
Lampyris accenſo funalia prætulit igni;
Et ſtrepuit raucis juncta cicada ſonis.
Fuderunt querulos gryllorum examina leſſus:
Et culices propriis inſonuêre tubis.
Invitatus opus ceſſavit texere bombix,
Et fuit exigui pars quoque magna chori.
Huic inter me veſpa fuit, nec fucus honori,
Altera quod turpis, quod foret alter iners.
Muſculus è pavidis non auſus abire latebris,
Dum ſibi mordaci felis ab ore timet.
Limosâ ne rana loquax reptaret ab ulvâ,
Impediit nimiæ garrulitatis amor.
Nam poſtquam tacitæ ſiluêre per arva volucres;
Illa paludosâ merſa coaxat aquâ.
Procedit dum pompa frequens, miſerabile carmen
Unanimes, ſociis concinuêre choris.
Occidit indigno quadrupes tenuiſſima letho,
Exiguas inter gloria rara feras.
Aſt ubi ad effoſſæ loculum venêre lacunæ,
Conditur in tumulo corpus inane ſuo.
Fertur apis tremulo dixiſſe loquacula bombo;
Huic ſis terra levis, nam fuit ille tibi.
Quamlibet exilis breve velet arenula corpus:
Non ipſo levior pulice ceſpes erit.

Protinus exequiis solito de more peractis,
Aggestâ rediit turba sodalis humo.
Sed minimæ pecudis casum miseratus Apollo,
Flevit inauratâ tristia fata lyrâ.
Felix inflctâ qui non inglorius urnâ,
Qui non sub muto marmore clausus erit.
Nam scriptis super ossa silex stat læsa figuris,
Et recitat lethi parva tabella modum.

PULICIS EPITAPHIUM.

HIc situs est pulex, reptantis gloria turbæ,
Pulice qui fuerat pumilione satus.
Hunc neque marmoreo surrecta cacumine moles,
Hunc neq; multo asper lemmate cippus habet.
Sed quanquam tenui jaceat sepelibilis urnâ,
Non ideo vel te judice vilis erit.
Si spectes, quam molis egens, quàm mentis abundans,
Et quo pertulerit funera dura modo.
Nam neque vel gemitu, queruli vel voce susurri,
In longas voluit ducere fata moras.
Ille sed immotis vultuque animoque cruentum
Sustinuit duro vulnus ab hoste pati.
I nunc, & magni fatum mirare Catonis,
Dum pulex consors nominis hujus eat.
Clarus uterque fuit moriens, nam pectore forti,
Intulit ille sibi vulnus, at iste tulit.
Lector abi, cursúsque tuos jam perfice, postquam
Legeris inscriptas, quas gerit urna, notas,
Et dic, cum cinerem prætergrediere sepultum,
Sculptilis exiguo quem tegit orbe lapis:
Fortunate lapis, gemmâ pretiosior omni,
Tu mihi tu posthac jure lapillus eris.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo Ecclesiast. cap. 10. Vidi cuncta quæ sub sole fiunt, & ecce universa vanitas, & afflictio spiritus.

HÆc ego quæ patulâ ludebam entus in umbra;
 Quâ Rhodanus properis currit in æquor aquis.
Fastidis, caperansque gravem per tædia frontem
 Moroso censor tetricus ore legis.
Et quid, ais, levibus dudum teris otia nugis?
 Quid juvat in sterili ponere semen humo?
Surge age sublimis, nec inertes consere sulcos,
 Proveniet jacto semine nulla seges.
Non ego diffiteor, quid enim manifesta negarem?
 Crede mihi nugas non tamen unus ago.
Nugæ, Chrysolithus, berillus, jaspis, achates,
 Nugæ, adamas, nugæ, bacca, pyropus, onyx.
Nugæ partus honos factis, sunt stemmata nugæ,
 Nugæ, Mygdonio marmore fulta domus.
Nugæ, mille togæ species, & mille colores:
 Nugæ, Sidonio vellera tincta cado.
Terrarum æquatâ perpende negotia lance,
 Invenies, nugas præter, id esse nihil.
Nuper ego cupido lustrabam compita visu,
 Ausus & arcanos mente subire lares.
Et vidi quæcunque domi, bellique geruntur,
 Sed, qui nil ageret futile, nullus erat.
Tu tamen hoc carmen cave prorsus inutile credas,
 Forsan in hoc aliquid, quod juvet esse potest,
Continuò requies intermiscenda labori;
 Alternas peragunt noxque, diesque vices.
Pierides choreas, manibus per mutua nexis,
 Depositâ gaudent ducere sæpe lyrâ.
Ludicra sunt rebus quondam jungenda severis;

Nec nunquam pharetram ponit Apollo suam.
Dic age quærebam, quæ causa tetenderit arcus?
Cur geris in vacuâ spicula nulla manu.
Tendere si nunquam cessem, referebat Apollo,
Mollior adductis cornibus arcus erit.
Tu, cui visa mei levitas culpanda libelli,
Quique putas animi carmen inertis opus:
Parce hilares lusus, vacuæ joca carpere Musæ
Parce, nec ad sensus exige cuncta tuos.
Nam licet hæc verso juvenilia pollice damnes,
Lusibus his, alius qui capiatur, erit.



LEO.

SERVATORIS

SUI SERVATOR.

LUDUS ALLEGORICUS

ELEGIA QUINTA.

ERRABAT, vastoque ferox horrore ruebat
Saxa lacertosus per nemorosa Leo:
Dumque ruit, validam configit arundine plantam,
Et sola vulnifico perfecat ima rubo;
Nullum ægri medicamen erat, via nulla salutis,
Nam medicus tantæ quis ferat esse feræ.
Quod gemitu petit auxilium, rugitibus arcet,
Et torvus revocat, quam vocat æger opem.
Fortè cavum subiit Domini fugitivus in antrum,
Androdus, si vis discere, nomen erat.
Dum latet, & pœnas, quas fugerat, horret heriles,
Certus inhumanæ vivere more feræ:

Ecce ululans, & acerba dolens se triplice plantâ
Hospita magnanimus trudit in antra leo.
Vix trahit immensum saxeta par aspera corpus,
Et gemit, & gemitus signa dolentis erant.
Impexis fera colla jubis exasperat horror,
Et geminum gemino lumen in orbe rubet.
Horruit attonitus venientem verna leonem,
Alcidæ potuit quo novus esse labor.
Et pavidus: Quas me in clades Fortuna, reservas,
Nos alia ex aliis fata subinde premunt.
Non sat erat scuticas, non sat tolerasse catastas,
Stigmataque à Domino duriter usta meo:
Ni satiem vasti spatiosos oris hiatus,
Esca cavernosâ comminuenda gulâ.
Hæc secum; meliora Deus: rebusque cavendis
Vix erit à ferâ posteritate fides.
Nam facilis sua colla leo acclinata reflectit,
Et medicam læso flagitat ungue manum.
Attollensque pedem tremulum, vestigiaque ægra,
Voce saluriferam quâ valet, orat opem.
Ferret ad affectum medicamina prompta leonem,
Sed timet infidæ servus ab ore feræ.
Hæret inops animi mentemque per omnia versat,
Suadet amor propius ire, redire timor.
Victus amore timor, Davusque audentior ultro
Aggreditur posito cominus ire metu.
Accedit nutuque feram, verbisque salutat,
Et palpat facili colla jubata manu.
Penè loquax hiat ore leo redditque salutem,
Reddere si potuit, quâ tamen ipse caret.
Vulnificâque dolens violatam cuspide plantam
Porgit. & inflatam tabe tumente cutem.
Et miserabiliter rugitu interprete sensum
Explicat & caudâ supplice poscit opem.
Dextra hebetes tractans innoxia molliter ungues,
Sensit inhærentem sub pedis ossa rubum.
Nec mora, sollicitat, digito luctatus, acumen

Vellere, si quâ vi possit & arte trahi.
Nec labor in cassum cecidit, sequiturq; trahentem,
Sponte suâ facilis spina, volensque manum.
Exprimit Androdus saniem, quæ, lurida tabo,
Fluxit in immundam, causa doloris, humum.
Obligat & lacero (nam fortè gerebat) amictu
Quæ prius affusâ vulnera fovit aquâ.
Protinus amissæ rediêre in pristina vires,
Atque omnis posuit, qui fuit ante, dolor.
Mox grates muto eloquio, gestuque loquaci,
Quas referat factis, murmure vocis agit.
Ille prius Libycæ Rex formidandus arenæ,
Sponte suâ præda est, qui modo prædo fuit.
Spondet enim nutu capitis, caudâque fideli
Pro Domino famulum se fore Rege canem.
Et spreto imperio, & spretis sylvestribus aulis,
Detulit obsequium, tempus in omne, suum.
Admittit famulum Androdus pro Rege leonem,
Inque vicem fidum spondet amicus herum.
Utque novi pactum fœdus firmetur amoris;
Porrigit hic dextram; porrigit ille pedem.
Sic jurata fides, nodoque adstricta tenaci;
Jam rata servitii dat leo signa sui.
Venatur medicique sui fit, & hospitis altor,
Et Lybico assandas sole dat esse dapes.
Nam capreas damasque leves, cervosque fugaces
Fert Domino famulus, justa tributa, suo.
Acceptamque semel tantum, trieteride totâ,
Bellua non uno pignore pensat opem.
Nec stetit hîc tam fidus amor, nam captus uterque
Non ita post, Romam ductus uterque fuit,
Inque fugæ pœnam, Romanâ Androdus arenâ
Constitit immensæ cedat ut esca gulæ,
In cassumque ciens gemitus moriturus inanes,
Expectat rabidas in sua fata feras.
Ecce tibi è caveis in campum emissus apertis,
Efferus immani rugiit ore leo.

Intremuêre cavæ, cuneo trepidante, cavernæ,
Cumque tribus resonant tota theatra foris,
Quid tibi nunc animi, quæ spes, Androde salutis,
Dum ruit, & patulo se movet ore leo?
Vita, vale, dixit, nostrique valete parentes,
Tu quoque libertas, nomen inane, vale.
At leo magnanimas regaliter excitat iras,
Effusus rutilam colla per hirta jubam.
Incedensque suæ stimulat se verbere caudæ
Et patet, incessu principis, esse leo.
Mos ubi captivum juxta stetit ilicet omnes
Ex inopinato detumuêre minæ.
Restitit attonito similis, mox supplice gestu,
Munificos pronus volvitur ante pedes.
Et nutu, caudâque jocans vestigia lambit,
Et palpanda cavâ dat sua terga manu.
Adstrictuque pedum & placidæ lenimine linguæ,
Blanditur teneræ bellua more canis.
Inque vicem agnovit veterem recreatus amicum,
Sospitis Androdus sospes amore feræ:
Et pectit sine fraude jubam collumque remulcet,
Nudamque insertat tutus in ora manum.
O nemorum terror, non hæc sperare sinebant
Et furor, & rigidâ colla comata jubâ.
Naturam vicit pietas! ô amabile monstrum!
O fera, quæ rabidæ nil feritatis habes!
Interea cupidis dum se complexibus arctant,
Dant & amicitiæ signa, notasque suæ.
Spectatrix stupuêre cohors, festisque theatrum
Vocibus, & plausâ personat omne manu.
Ecquæ causâ tuæ, clamant, Androde, salutis?
Cur leo depositâ fit cicur iste ferâ?
Ille refert, primi memorem se præstat amoris,
Quamque prius dederam, jam mihi reddit opem,
Et seriem rerum memorat gratatur utrique,
Vinculaque exultans circus utrique levat.
Sed dum Roma jubet captivis vincla levari,

In nova servatos vincula mittit amor.
Namque leo mediam liber deductus in urbem,
Maluit Androdi dulcia vincla pati.
It socius, Dominumque sequax comitatur euntem,
Ut sequitur matrem bima puella suam.
Accelerant justique senes, cupidæque puellæ
Et pueri; & socii fœmina, virque choris.
Mirantur voluisse capi, longèque recedunt,
Aspectæ quoties prosiluère jubæ,
Ille dolens metui, tentat celare leonem,
Frustra nam viso noscitur ungue leo.
Ergo canis ritu vestigia lambit, & ipsum
A tergo insequitur quo prior ibat, herum,
Quaque triumphat amor, qua pompa incedit amoris,
Sparsa corollarum floribus halat humus.
Vivite felices ambo, gens Martia clamat;
Munere tu felix illius, ille tuo.
Vivite felices par nobile, clamat amantum,
Vestraque dissociet fœdera nulla dies.
Vivite, septeni repetunt, ter vivite colles:
Tamque tenax omni tempore vivat amor.
Hos qui fortè aderat tanti mirator amoris,
Non potuit civis continuisse sonos.
O amor, ô cunctis facinus memorabile sæclis!
O fera Zodiaco digna, fruique polo!
Discite, mortales, quod adhuc nescitis, amare!
Nec pudeat sævas consuluisse feras.
Id melius sylvæ quam plenæ civibus urbes,
Id melius, quam nos monstra vel ipsa docent.
Hunc ergo aspiciat, qui nescit amare, leonem,
Crimen, amore homines si leo vincat, erit.

LEONIS APOTHEOSIS.

Quid facit æthereos inter Leo torridus ignes!
Quid fera monstrifero præcipitanda polo?

Scilicet Herculeo peſtis compreſſa lacerto,
Incolit æthereas ambitioſa plagas,
Ut formidatum miſeris mortalibus aſtrum,
Veris odoriferas depopuletur opes;
Et totam exurat radiis feralibus Hyblam,
Æſtiferâque nemus torreat omne jubâ.
Quam melius partem hanc premeret radiantis olympi,
Qui memorem Androdi ſe probat eſſe, Leo:
Quique vicem meritis, longoque rependit amori,
Et magno acceptam fœnore reddit opem.
Fulſerit antiquo poſtquam novus ignis in aſtro,
Peſtifer afflabit corpora nulla vapor.
Veris honos illæſus erit, nec gramina campos,
Nec ſua ſiccatos deſeret unda lacus.
Cede loco, quem dedecoras, ignobile monſtrum,
Debet in hoc melior flamma micare polo.
Ignibus irarum vel adhuc ardeſcis, amoris
Ardebit ſolis ignibus iſte Leo.

APODOSIS ALLEGORIÆ

Ex illo Proverb. Cap. 17. qui reddit mala pro bonis non cedet malum à domo illius.

QUæ jaculos, Lernæque malum, quæ nutrit (echidnas,
Nil terra ingrato pectore pejus alit.
At ſincerum odiis quiſquis compenſat amorem;
Is miſer exitiis omnibus unus erit.
Improba progenies! meritorum oblita propago!
Nullum homines inter digna tenere locum.
Si ſapis, à memori diſcas redamare leone,
Nec rabidas animo vince feroce feras.
Ille vicem reddit meritis; pretiumque ſalutis,
Ipſa ſalus æquâ lance repenſa fuit.
Sic memor officii, longos reminiſcere Soles,

Nec cadat ex animo gratia fluxa tuo.
Mites esse feras homines docuêre magistri,
At fera nunc homines esse magistra docet.

MUSCA IN AUREO CALICE TUMULATA
LUDUS ALLEGORICUS.

ELEGIA SEXTA.

Regibus appositas libare modestius escas
Visa verecundo quæ prius ore fui:
Quæque Ducum paterasque super, patinasque morabar,
Principibusque inter fercula missa gulis:
Et calcare thronorum apices & eburnea sceptra,
Et diademâtas non semel ausa comas:
Fungor honorato fortunatissima fato,
Vivere læta prius, nec modo mœsta mori
Non peperit mihi fata puer, qui sæpe dolosâ
Aucupii nostros decipit arte greges.
Non ego flumineam legerem dum proxima ripam,
Lauta voraturis piscibus esca feror;
Nec vafra textilibus me cepit aranea filis,
Pensilis admissum jussa piare scelus.
Non lentâ me tabe fames, nec passer adedit,
Nec dedit infletum vilis arena rogum,
Et viva, & moriens fatis melioribus utor.
Aurea dant tumulum pocula, vina necem.
Namque ego, purpurei pellecta rubore Lyæi,
Accelero siccam depositura sitim.

Sed dum plus nimio liquidum sorbillo saporem,
  Mergor in aureolo naufraga facta scypho.
Atque ita quæ dapibus conviva fruebar opimis,
  Net mihi dum niveos candida Parca dies.
Nunc quoque, principio ne discrepet ultima finis,
  Funeribus morior nobilitata meis.
Felix naufragium! tumulus post funera felix!
  Felix, quâ moriens muscula sorte fruor.
Deplorare meos, cognata examina, casus
  Parcite; nam tanti sic periisse mihi est.
Ebria dum cecidi, nec mors mihi dulcior esse,
  Nec mihi, dum tumulor, ditior urna potest,
Si necis electum facilis mihi Parca dedisset,
  Illo ,,dixissem funere malo mori.
Si vellent optare meum me fata sepulchrum,
  Auro vovissem divite functa tegi.
Non poteram tumulanda frui, moriturave fungi
  Vel meliore urnâ, vel meliore nece.

EPIGRAMMA.

SI memini ternas vates celebravit Iberus
  Quas quondam implicuit succina gutta feras.
Vipera prima, locum tenuit formica secundum;
  Tertia se parili carmine jactat apis.
At tu Musca, fores talem si nacta poëtam,
  Exiguæ qualem tres habuêre feræ:
Non formica rapax, non picto vipera dorso
  Clarior aut opifex nectaris esset apis.
Hunc inimica bonis tibi sors invidit honorem,
  Ne pariter felix hac quoque parte fores.
Ore quidem fateor, poteras graviore referri,
  Non poteras tumulo divitiore tegi.
Succineâ quamquam fera terna superbiat urnâ,
  Vilior est auro succina gemma tuo.

APODOSIS.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo Prov. c. 23. Ne intuearis Vinum quando flavescit, Cum splenduerit in vitro: Color ejus ingreditur blandè, Et in novissimo mordebit, ut coluber.

INconsulte puer tectique ignare pericli,
  Ah nimium nimio credere parce mero.
Servanda est tibi, si sapias, mensura bibendi,
  Nam male cum pueris convenit ille liquor.
Flosculus opprimitur, dum plurimus ingruit imber:
  Mergitur immodico pondere pressa ratis.
Non bene Palladio Bromius miscetur olivo,
  Nec virides oleas proxima vitis amat.
Nulla solet bifido frondere cacumine vitis,
  Nec viret Aoniis montibus ille frutex.
Nec tibi vina, Puer, sed tuta ministrat Apollo
  Pocula, Castaliâ quæ Prius hausit aquâ.
Dum salit, & cyathis infusa capacibus ardet,
  Blanditurque oculis purpura fluxa tuis:
Temperet indomitum qui sobria Thetis Iacchum,
  Naufragus è poto turpè ferêre Deo.
Sic premit Isacidam dum gens Mareotica gentem,
  Hæsit Erythræi fluctibus hausta maris.
Et modo dum plenum temeraria currit ad aurum,
  Exhausto periit naufraga musca mero.
Illa dolenda minus, nam carpore mergitur uno,
  At tu ni caveas, mente sepultus eris.



ARION

DELPHINO VECTUS

LUDUS ALLEGORICUS.

ELEGIA SEPTIMA.

IMpLERAT Siculas jam nomen Arionis urbes;
Captaque erat Lyricis Ausonis ora modis:
Ille potens auro, citharâque superbus eburnâ
Ad patrios remeat, Lesbia tecta, lares.
Quasque sibi blandâ lyricen quæsiverat arte,
Fulva pericla, gravi nave ferebat opes.
Eruta jam validis canebant marmora remis,
Impulerantque leves linea vela Noti.
Jam placido felix ibat procul æquore navis,
Ipse dabat facilem ventus, & unda viam.
Cum magis, ah! sævo nautarum perfida ponto
Astitit armatâ conscia turba manu.
Ore minax, strictoque ferox crudeliter ense,
Et jugulum, & partas tradere cogit opes.
Quid tibi cum ferro? facilem rege, navita, clavum;
Conveniens digitis est magis ille tuis.
Dii, quibus imperium maris est, quibus æquora curæ,
Grataque pierii sunt quibus antra jugi.
Hæc precor à sacris avertite monstra Camœnis,
Nec pius exitium tam grave Mysta ferat.
Quid faciat Citharista miser? quibus æquora placet,
Et quibus imploret sydera surda sonis?
Ocyus exsurgens, Mortem non deprecor, inquit,
Fas modò sit querulâ præcinuisse lyrâ,

Concedunt, ridentque moras; at rite sacerdos
  Imposuit meritis Delphica serta comis.
Induit & Tyrio medicatum vellus aheno,
  Tendit & assumtæ tristia fila lyræ.
Extremosque ciens factus sibi prefica lessus,
  Sollicitare suum pectine cœpit ebur.
Qualis ubi jam fata vocant, canit albus, & uno
  Vitamque & vocem gutture fundit olor.
Flebiliter damnasse suam, sed seriùs artem
  Dicitur, elicitis voce, manuque sonis.
Væ tibi, væ, dixit, levis aëris improba Siren,
  Musica plus Siculo perniciosa freto,
Illicitum pellax, agitati futile venti
  Ludibrium, blandi lena magistra soni.
Callida prædatrix animi, funesta voluptas;
  Pompaque funereis addita jure sacris.
O utinam rudibus dum te tyrunculus annis
  Excolo deliciis ars nocitura tuis.
O utinam, primo resonantis pectinis ictu,
  Sponte suâ fractum desiluisset ebur,
Non patrios peterem longo post tempore fines,
  Flebilis æquoreæ præda futurus aquæ.
At misero nec crimen obest, sceleris ve nefandi;
  Conscia probrosis mens labefacta notis.
Plectra mihi, citharæque nocent, & perfidus auri
  Fulgor, & illecebris aura corusca suis.
Incolumis, Polydore, fores, at avara cupido
  Vertit inhumanas in tua fata manus.
Hesperii secura forent pomaria Regis:
  Sed micat arboribus pendula gaza suis.
Quæ pariter mala-cunque fero, spes unica prædæ
  Attulit, hæc damnis causa reperta meis
Flere libet, dum flere licet, damnabile plectrum
  Causa sit, & fati blanda medela mei.
Assolet indomitum fletus lenire dolorem,
  Quamque cadunt lacrymæ tam cadit ipse dolor.
Hora brevis superest, cum, me quæ lumina lugent,

Æternâ Stygiæ nocte premerentur aquæ.
Nec vehimur Lesbon ; si quo ratis ista movetur ;
Ad tumulum pronâ me rapit illa viâ.
Non tu me aspicies , miseri , Methymna , Poetæ
Patria non oculis aspiciêre meis
Spiritus ignotas peregrinus abibit in auras :
Nec , mea qui tumulus corpora condat , erit.
Æquoreis dabor esca feris , quæ plurima pontus
Educat in vasto monstra pavenda sinu.
Ah male quæsiti , damnorum semina , nummi !
Quanta per hos capiti sunt mala parta meo.
Insidias agnosco dolens , quas blanda tetendit
Musica , futilibus deliciosa sonis.
Musica crudelis ! crudelia plectra ! repertæ
Vos quoque crudeles in mea damna lyræ :
Ista lacessenti trepidant quæ tinnula plectro
Fila , mihi laqueum composuêre meum.
Hæc ait & viridi præcinctus tempora serto ,
In medias Lyricen desilit actus aquas.
Vos , squammosa cohors , perituro parcite vati ;
Vestra hominum tangit Pectora si quis amor.
Sic erit , en cupidis opifer secat æquora pinnis
Piscis , Arioniæ captus amore lyræ ,
Tergaque lætanti subjecit amica poëtæ ,
Securumque volens bellua vectat onus.
Ille sedet novitatis amans , naulumque fidelis
Solvit , & Aoniam temperat arte chelyn.
Hac novus arte regit docilem,his calcaribus urget,
Et flectit quo vult cunqne canorus eques.
Cernis ut illæsum tuto vehat æquore pondus ,
Redditus attonitæ navita piscis aquæ.
Ipse gubernator , clavus , ratis , anchora , remex ;
Carbasus , & Delphin omnia solus erat.
Exultansque ferus tanto sessore superbit ,
Dum per hiulca vage Thetyos arva ruit.
Nec prius absistit gerulus , quam sospes Arion
Contigerit patrii Lesbia tacta soli.

At tibi, pro meritis, Delphin, pretioque vehendi,
Dii Regem æquoreæ dent, precor, esse plagæ.
Vel certè (plus terrâ aliquid, pontoque mereris)
Dent tibi signifero syderis esse loco.
Successum meruere preces, nam bajulus auget
Æthereas Delphin jam nova stella faces.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo Proverb. cap. 21. Anima impii desiderat malum, non miserebitur proximo suo.

AH crudele genus! nec fidum, navita, nomen;
Quos latrante parens expuit unda sinu.
Ah pudeat, vos si qua movet virtutis honestas;
Si quis adhuc vestro restat in ore pudor.
Ah pudeat (quis enim vos ardor adurget habendi?)
Ingenium æquoreis mitius esse feris.
Mutavit Natura vices: tu Navita, sævis:
Hospita cæruleæ bellua parcit aquæ.
Scilicet est aliquid saxa inter, & esse procellas;
Cumque undis semper vivere, cumque Notis;
Turba lucrum, ventosque sequens, quas incolit hospes
Rupibus his mores convenienter habet.
Naufragium, infelix Vates, aliunde timebas,
Improvisa suo te ferit ense manus.
Quos citharâ, plectróque cies modulatus eburnâ;
Nauta tuos surdâ respuit aure sonos.
At nihilo tamen inde minus tua barbita plecte,
Nam modulis Delphin cedet, & unda tuis.



DOMITIANUS DE MUSCA TRIUMPHANS.

LUDUS ALLEGORICUS

ELEGIA OCTAVA.

Quid juvat aligeros incurrere, Cesar, in hostes,
  Et muscas, pretium futile, velle sequi ?
O pudor ! ô nullo reparabile dedecus avo !
  Famaque Romanis inficianda tuis !
Si belli te tangit amor ; si quæris, opimus
  Unde tibi magnâ laude triumphus eat :
Quem superes, tibi Roma dabit feliciter hostem ;
  Hæc segetem titulis conferet ampla tuis.
Illa, nisi externas bellum promôsset in oras,
  Terrarum domito non foret orbe caput.
Si tua septeni gessissent prælia Reges,
  Esset stramineæ nil nisi Roma casæ.
An tantùm fera bella probas ; dum musca feritur ?
  Et satis, hoc parto nomine, laudis habes ?
Vilia si validis domuisset monstra lacertis,
  Non foret Herculeæ gloria tanta manûs.
Quis Danaas fregisset opes ; si Troicus Hector
  In similes vellet stringere tela feras ;
At tu te retulisse putas memorabile nomen;
  Si levis infixâ cuspide musca cadat.
Indecoremque brevi venatus arundine prædam,
  Victor ut in multâ cæde superbus ovas.
I nunc, magnifici pompam molire triumphi ;
  Ambiat & vinctas laurus honora comas.

Junge coronatos post tanta trophæa jugales :
Aureus adjunctos ipse movebis equos.
Ante eat, impositis, captarum more, catenis,
Muscula per sacram pompa futura, viam:
Quæque tuos currus comitantum turba sequetur,
Clamet, Iò victa est muscula, rursus Iò.
Claraque Romulidum titulos capitolia regum
Servent victuris tempus in omne notis.
Postque triumphatas primis à regibus urbes :
Lectaque magnanimâ diruta castra manu ;
Hoc tua, post reliquos facinus monumenta loquantur :
Hic est qui muscâ victor ab hoste redit.
Ilicet hæc magno digna est victoria plausu,
In quâ, quidquid habes nominis, unus habes ;
Subderet Augustus sibi dum munimina Cæsar,
Pars quota in Augusto Cæsare laudis erat.
At tua consortem tituli, sociumque repellit
Gloria, nec partem muneris alter habet,
Sed cur dissimulo, cur non, ambage remotâ,
Occurrunt oculis probra videnda tuis.
Succumbit vaga musca tuos experta furores,
Pigraque Romano cessat in hoste manus.
Sat nugis, ludoque datum : cape fortiter ensem;
Et tua in armatos prælia verte viros,
Cum Latio totum imperio submiseris orbem ;
Quà vastam latè circuit æquor humum ;
Ducere tranquillos discincta per otia Soles,
Et poteris miseras figere rursus apes.
At modo, quem superes, tibi dum superaveris hostis :
Illo materiem laudis ab hoste pete.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo exodi c. 18. Non bonam rem facis: ſtulto labore Conſumeris.

INſequitur teneras, muſcarum examina, prædas
  Cæſar, & aureolâ figere gaudet acu.
Cominus inſultat, magnumque rebellat in hoſtem,
  Nativamque inflat ſtridula turba tubam.
Non clypeo, galeâve hoſtem, non enſe retundit,
  Ipſe ſibi clypeus, caſſis, & enſis erat.
Imparibus ſed enim ſuccumbere cogitur armis,
  Et dare victrici colla domanda manu:
At magna luit ille ſuos mercede furores,
  Quamque necem muſcis intulit, ille tulit.
Occidit, & bibulo quem ſorbuit ore cruorem,
  Hunc patulo crudi vulneris ore vomit.
Quique trucem nuper muſcis ſe præbuit hoſtem.
  Hoſtibus ille ſuis muſca puſilla fuit.
Hæc ubi legiſti, pigra Cæſaris otia damnas,
  Amiſsique reum temporis acer agis.
At tibi, dum nugis animum puerilibus imples;
  Et data futilibus deperit hora jocis:
Quid totos niſi muſca, dies, captatur inanis:
  Et ſi quid muſcâ vilius eſſe poteſt.
Ignavum ergo ſoles qui dicere Cæſaris ævum,
  Tu pariter, vel te judice, deſes eris.
Nec caras tibi ludus iners furabitur horas,
  Si quanti tempus væneat, ipſe putes.



APICULÆ



APICULÆ.

A ROSA
PICTA DELUSÆ.

LUDUS ALLEGORICUS.

ELEGIA NONA.

Ver erat; & flabris Zephiri tepefacta decoros
 Induerat vario terra colore sinus:
Solque coronatos radio meliore capillos,
 Seque nemus variis comserat omne comis.
Gens opifex mellis, vitreique bibacula roris,
 Deserit ambrosios, Dædala tecta, favos.
Et facili, quò præda vocat, delapsa volatu,
 Flava colorati filia veris abit.
Qualis Amazonidum, positis post prælia peltis,
 Errat in herboso libera turba solo:
Festivumque canens devicto ex hoste triumphum,
 Thermodoontiacæ margine ludit aquæ.
Non tamen unius facies est una cohortis,
 Nec labor est unus, sit licèt unus amor.
Hippolyte teneris redimit sua tempora sertis;
 Nectit odoriferas Penthesileâ rosas.
Ambigit hæc,quibus abstineat,quæ germina carpat
 Flos ambit dubiam dum sibi quisque manum.
Harpalice patulis collecta ligustra canistris
 Injicit, & varias veris olentis opes.
Prætulit hæc calthis violas, hæc Lilia nardis,
 Hæc graditur, sedet hæc: hæc canit, illa tacet.
Talis erat species volitantis in arva popelli,
Hæc populatrices turba figurat apes.


Fervet opus,variantque vices, sibi quæque laborem
 Vendicat, & justæ munia partis obit.
Basiat hæc violas, hæc cominus impetit hostem;
 Ista sagace pedum falce ligustra metit.
Altera formandis operosa quiritibus instar,
 Quos rosa, flos veneris, non Venus ipsa creat.
Stant aliæ rutili circum prætoria Regis,
 Et cecidisse suo pro Duce dulce putant.
Res ita partitis dum publica fervet opellis,
 Incidit in pictos virgo caterva dolos.
Namque colorato pulcher calathiscus in horto
 Claudebat pictas pictus & ipse rosas.
Dat natis quodcumque decus Natura creatrix
 Floribus, his opifex floribus omne dedit.
Tantus in arte decor, floris si jungis utrumque,
 Distet ut à verâ vix rosa picta rosâ.
Victrici Natura parens penè invidet arti;
 Hoc se dum victam germine fassa dolet.
Ut quondam vacuo turdos deceperat esu,
 Quæ fuit è pueri pensilis uva manu:
Sic quoque vos ludet pellacis imago roseti,
 (Præmoneo) teneræ, ni caveatis, apes.
Ite piæ volucres, aliò convertite cursus,
 Non erit hæc vestris messibus apta seges,
Nil veri, nil veris habent mendacia florum,
 Hos non mater humus gignit, at apta manus.
Irrevocata meis monitis it stridula pubes,
 Quo vocat illicio florida præda suo.
Accelerat, certamque sibi confisa rapinam
 Credit ab aspectâ posse referre rosâ.
Surgit adumbrato speratam in flore medullam,
 Nulla in adumbrato flore medulla fuit.
Deludi vix posse putat se credula proles,
 Floris in his tantum floribus instar erat:
Sed postquam exsuccum suxit ter, & amplius hor-
 Ingemuit, picto falsa fuisse dolo. (tum,
Mussitat & quærulo visa est dixisse susurro,

Dum redit ad vacuos plena pudore lares :
Quæ simili nostros decepit imagine cœtus ,
Quis florem Hyblææ non putet esse rosæ :
Sicaniis viruit vel flosculus ortus in hortis ;
Pictus Apelleâ vel fuit ille manu.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo sapient c. 2. Coronemus Nos rosis, antequam Marcescant.

QUi Paphio , Juvenis lascive vagaris in horto,
Das ubi luxuriæ mollia signa tuæ.
Cerne docendus apem ; si vis tibi , nescia labis ,
Vita verecundi plena pudoris eat.
Cerne , nec à legulo pigeat didicisse popello ,
Te quibus alliciant fascina vana dolis.
Te quoque , si nescis , florum fallacia ludit ,
Nec solas species veris inescat apes.
Et dicis dum fata sinunt , dum sustinet ætas ,
Dum patitur , quæ net stamina nostra , soror.
Ante coronemus brevium nos flore rosarum ,
Quàm rigeat pulsâ spina relicta rosâ.
Rerum ignare puer , quid lubrica floris imago ?
Quid juvat armiferæ pompa caduca rosæ ?
Hæc potius tibi serta velis , hos quærere flores ,
Quos parit Elysiæ gleba beata plagæ.
Hîc vivax amaranthus olet , rosa vernat inermis ,
Nec metuit nostras lutea caltha nives.
Hinc tibi , si sapias , æternam texe corollam ,
Hinc diadema tuis cinge perenne comis.






PHILOMELA IN CERTAMINE MORIENS.

LUDUS ALLEGORICUS

ELEGIA DECIMA.

NObilis arboreâ nuper Citharœdus in umbrâ
Fallebat placidis otia blanda modis :
Doctaque mobilibus moderans modulamina plectris
Ingeniosa suum dextra terebat ebur.
Vix pepulit, tremulo salientis pollicis ictu,
Fila locuturæ concilianda lyræ.
Vix benè, verticulis supremâ in parte rotatis,
Judice discordes temperat aure fides:
Audiit argutæ resonabilis hospita sylvæ;
Audiit Aonii Dux, Philomela, chori.
Et prope succedens, nemorosis abdita ramis,
Auditos memori ruminat aure sonos.
Inscius audiri fidicen sua barbita crispat
Languidus ignavâ tinnula fila manu.
Mimula respondet citharæ philomela; modosque
Quos digitis lyricen, gutture reddit avis.
Non ita, quæ resonis habitat vocalis in antris,
Nympha repercussos reddit avara sonos,
Sensit ut audacis psaltes imitamina linguæ,
Parvulaque auditam fingere rostra lyram :
Protinus ambigui placet in certamen honoris,
Aligeræ vires sollicitare feræ.
Ergo novi specimen præbens citharista duelli,
Auratam celeri percutit ungue chelyn.

Nec mora reddit avis primæ tentamina pugnæ,
Mille movens modulos unica, mille jocos.
Ille suam per fila movet trepidantia dextram,
Illa suo trepidum dividit ore sonum.
Hic fidibus vocem, digito sociante, maritat;
Hæc simulat sociæ fila marita lyræ.
Ille melos replicat, digitisque micantibus urget,
Filaque pernici transilit icta manu.
Nunc contemnenti similis vix barbita tangit,
Sed quidquid cecinit dextera; lingua canit.
Nam punctim, cæsim, raptimque reciprocat ales;
Et tremulo refluos turbinat ore sonos.
Nunc fragiles variante secat modulamine flexus,
Nunc rotat incisis rostra minuta modis:
Indignatus avem tentat majora lyristes,
Naturâque adhibet quidquid, & arte valet.
Nunc it, prosilit, exilit, assilit, insilit, exit
Sedulus instabiles mobilitare manus.
Et breve nunc longo, grave nunc immiscet acuto;
Summum, imum, medium nunc ciet ille sonum.
Et varians nunc dulcè sonat, nunc tristè susurrat,
Vt tuba turbatos cogit ad arma viros.
Hoc etiam philomela refert; modo dulcia pacis
Carmina, terribiles mox imitata tubas.
Nunc revolubilium torquet glomeramina vocum,
Ingeminare suum psaltria docta melos.
Nunc vocem infuscat, jaciens nunc fusile carmen,
Productis longùm tractibus arva replet.
Hic lyricen vinci impatiens, & fervidus irâ,
Non imitabilibus terminat orsa sonis.
Vel non hoc referes, pennata Poëtria, carmen;
Vel fractâ dixit, victus abibo lyrâ.
Sic ait, & per fila volans simul hos, simul illos
Sollicitat digito mobiliore modos.
Excurrunt, redeunt, sibi se fugientibus instant
Præcipiti volucres sedulitate manus.
Segniùs Amphion lusit, dum prompta juberet

Ad numeros citharæ currere saxa suæ.
Et strepit, & tinnit, pipátque, lipítque, pipítque,
Alternàtque omni tensa sonore fides.
Vt lyricen totam insumsit, quam calluit, artem:
Ex inopinato denique claudit opus.
Auribus arrectis expectat, an æmulus ales
Rursus Apollineæ certet, ut ante, lyræ.
At quia siccatis jam faucibus hæret aedon,
Desiit extremos lassa referre sonos.
Nàmque canaliculis discrimina tanta minutis
Reddere tot voces simplice voce nequit.
Non didicit solas agitare superbia mentes;
Et volucres ipsas tangit honoris amor.
Se vinci philomela dolet; pudúitque videri;
Mutáque sub tacitis frondibus ora tegit.
Impar tristitiæ, modulis victoribus impar,
Deficit; &, cantu deficiente, cadit.
Sed cadit in citharam fato philomela decoro:
Hanc ego crediderim sic voluisse mori.

PHILOMELÆ EPITAPHIUM.

NE careat merito Siren in honora sepulchro,
Hoc, Citharœde, sonet carmine scripta Chelys.
Magnanimis philomela cadit conatibus impar,
Nacta opportunæ subdita fila lyræ.
Hospita frondosæ moriens citharistria sylvæ:
Non poterat tumulo commodiore frui.

APODOSIS ALLEGORIÆ.

Ex illo Ecclesiast. cap. 3. Altiora te Ne quæsieris.

VIcta jacet tristi exitio miseranda volucris
Imparibus bellum viribus ausa sequi.

Hee mihi! quot similes ventosa superbia casus
  Invehit, & vanus laudis inanis amor.
Sic malè ceratis dum nititur Icarus alis,
  Famosæ pueri nomen adhæsit aquæ.
Et Phaëton patriis juveniliter usus habenis,
  Pertulit irati flammea tela Iovis.
Victúmque Æoliden litui certamine Triton
  In mediis tristi funere mersit aquis.
Quisquis inæquali certamina Marte lacessis,
  Et majora tuis viribus orsa moves:
Pende prius, quod onus possis, quod ferre recuses;
  Ne malè sub nimio pondere pressus eas.
Nec tibi diverso monitor quærendus in orbe:
  Quæ doceant, volucris fata jacentis habes.
Illa modo, eximiæ stimulata cupidine laudis,
  Visa fuit placidæ succubuisse neci;
Téque suis monuisse malis, ne molis iniquæ
  Imponas humeris pondera ferre tuis.
Infelix proprio quicunque docebere damno
  Alterius luctu qui sapit, ille sapit.

FINIS.



INDEX.

Lusus Allegorici.

TABULA.

TABULA

Finis Indicis.

GABRIELIS MADELENET CARMINA.

NOVA EDITIO AUCTIOR.



Apud eosdem Bibliopolas venales extant Libri è variis Poëtis Societatis Jesu.

R. P. Sautel Annus Sacer 12. 2. *vol.*

Ejusdem authoris lusus Allegoricus 12. 1724.

R. P. Rapini opera 12. 3. *vol.* 1723.

R. P. Cossartii. Carmina 12. 1723.

R. P. Sidronii & VVallii opera 12. 2. *vol.* 1723.

Becani Idylliæ & Elegiæ 12. 1723.

R. P. Commirii Carmina 12. 2. *vol.*

R. P. Ruæi opera 12. *fig.*

R. P. Vanierii Carmina 12. 2. *vol.* fig.

R. P. Du Cerceau Carmina 12. 1724.

R. P. Sanadonis Carmina 12.

Varia è variis Poëtis Carmina & Orationes, 12.

